


*Philosophia*





Philos. 448<sup>2</sup> BC

PHILOSOPHIA  
PERIPATETICA  
*DIVÆ VIRGINI*  
MARIÆ  
PHILOSOPHORUM  
MAGISTRÆ.  
DICATA  
*ASSISTENTIBUS*  
S. ALOYSIO,  
STUDIORUM,  
S. STANISLAO,  
INNOCENTIÆ  
PATRONIS,

1402 76501

Q U A M  
*in Aula publica Gymnasii Tricoronati*  
*Societatis IESU*

*Anno 1736.*

P R Ä S I D E

R. P. ALOYSIO VAN WILLIGEN S.J.

AA. LL. ac Philosophie Magistro, ejusdémque  
Professore ordinatio

*Propugnabant*

*Pronobiles, Nobiles, Ornati ac Eruditi Domini Metaphysici*  
*25. à Januarii manè ab 8 vñ ad 10 m. am.*

JOANNES GERARDUS LAMMEN, DURANUS.

JOANNES JOSEPHUS BREWER, AGRIP.

MARCELLUS GRIVING, WESALIENSIS.

PETRUS ASSENMACHER, ARAFOLITANUS.

AA. LL. ac Philosophia Magist.

*Vespere à 1 m. ad 3 tiam.*

GERARDUS JOSEPHUS SCHMITZ, AGRIP.

AA. LL. ac Phil. Baccalaureus.

JACOBUS LUDOVICUS VON MEVEN, EUPENSIS.

JOAN. ARNOLD. CÄSP. de ESCHENBRENDER, AGRIP

AA. LL. ac Phil. Magist.

*27 m. manè ab 8 vñ ad 10 m. am.*

JOANNES BERGMAN, CALCARIENSIS.

JOAN. PETR. CLESGENS, ex KALTEN - REIFFERSCHEID.

MATTHIAS COEN, VITENSIS.

NICOLAUS WIRGES, ex MITTELHEIM.

AA. LL. ac Phil. Baccalaurei.

*Vespere à 1 m. ad 3 tiam.*

FRANCISCUS JOSEPHUS BIBER, LINTZENSIS.

FRIDERICUS JOSEPHUS HAES, AGRIP.

JOANNES PETRUS HUSICUS, AGRIP.

AA. LL. ac Phil. Magist.

Dedi-

# DEDICATIO.

**E**x quo tempore Societas IESU  
in Gymnasio vocata est, nihil  
illi sanctius fuit aut antiquius,  
quam a<sup>ssiduo</sup> cultu egregiam  
Deo & Republicae juventutem  
educare; id quod duplicitatione perfectum iri semper  
credidit, & perfecit, flexibilem illam & sequacem aca-  
tem manu ducendo ad virtutes, quibus Dei religio, ad  
sapientiam, quam Republicae regimen continetur: gemi-  
num vero donum divinum cum sit, nec discipulorum in-  
dustriâ, nec Magistrorum solertiâ, nec aliquo Prome-  
thei furto comparari posset; commissam sibi juventutem  
& monuit & monet Iesu Societas a te D. V: utrumque  
petendum esse propter quam mortalibus omne munus si-  
vè magnum sive parvum divinitus concediur: Tu  
enim D: V: donorum cœlestium canalis es, per quem di-  
vina sapientia in humanam carnem vitamque proflu-  
xit, fortasse non profluxura nisi tam mundi vase ac  
receptaculo acciperetur: certè experti novimus per  
nullum alium rivum nisi per Te D. V. à divino fonte in  
nos beneficia deducti posse, quæ tum in Gymnasio cætera  
cum in nostrum Tricoronatum manarunt uberioris cum  
Benedictus XIII. P. M. Aloysium & Stanislaum  
quos Tu dudum tibi adoptaveras in cælis; Palæstri-  
æ in terris juventuti Patronos constitue: quæ res  
quam illis gloriose iam huic accidit opportunè: post-  
quam enim apud Adolescentes percrebuit duos e suo  
cætu juvenes proper sapientiam, cuius studio olim de-  
ditifuerunt Tibi D. V. sed sapientie a<sup>ssidere</sup>, proper  
pudorem,

pudorem, quo mirè insigne fuerunt Tibi rose mysticæ  
 veluti anno lilia hinc & inde assistere; credidit juventus  
 nostra studiosa, nunquam sibi vel sapientiam, vel pudi-  
 ciam sodalium surrum patrocinio defuturam: ne quo  
 falsa fuit; tanq; enim profluenzia, & in eos qui docue-  
 runt, & in eos qui didicerunt d'vina dona derivata  
 sunt, ut utrique parum suo labore, plurimum vero ve-  
 stro favore in bonarum artium & virtutum studio se  
 profecisse fateantur: ex quibus cum Philosophia &  
 difficultior sit, & divinior, tamen tergeminio hoc subsidio  
 & difficultatem vicimus, & divinam scientiam conse-  
 cuti sumus; cuius, quod teneris annis didicimus tenaces  
 erimus, vestri vero beneficii tenaciores: quod tam am-  
 plum, vastumque est quam vasta, & ampla ipsa Phi-  
 losophia scientia est, que omnia suo sinu & complexu  
 recipit. Cujus prouide scientiae vestri inquam benefi-  
 ciu, ut leve quidem sed animi tamen grati monumen-  
 tum extaret, illam in breve compendium redegitimus,  
 quod primum vobis divi juvenes Aloysi & Stanislae  
 deinde per castissimas manus Tibi D. V. tradimus;  
 atque trieteridem laborum nostrorum Philosophorum  
 ita tripartito dividimus ut vobis tribus benefactori-  
 bus nostris maximis, annum labore m dedicemus: si-  
 mulque precamur, ut donum quod ferimus, & eos qui  
 ferunt, charos accepisque habere velitis.

Præses

Et Discipuli.

DICTA.

# DICTAMINA

Ex universâ Philosophiâ Peripateticâ.

## *Ex Logicâ.*

1. **D**atur Logica artificialis. 2. Hujus objectum materiale non sunt res, 3. Nec voces, 4. Nec intellectus: 5. Sed tres mentis operationes. 6. Acceptæ pro solo verbo mentis. 7. Formale est verbi mentis rectitudo absolute. 8. Etiam naturalis. 9. Constituitur partialiter per veritatem physicam inadæquatè acceptam respectu aliquarum regularum. 10. Nullum tamen in objecto reperitur ens rationis Thomisticum. 11. Est Logica virtus intellectualis. 12. Scientia. 13. Putè practica. 14. Moraliter tantum necessaria ad alias scientias: 15. Ad quatuor actus directivè tantum concurrit. 16. Distinctio rationis est unus, vel duo conceptus diversimodè rem eandem concipientes. 17. Non sit per præcisionem objectivam 18. Distinctio formalis ex naturâ rei 19. Et virtualis intrinseca in creatis non dantur. 20. Universale fit per intellectum. 21. Non singularem, 22. Nec necessariò comparantem; 23. Sed formaliter præscindentem. 24. Platonicum; 25. Ponecanum; 26. Scotisticum rejicimus. 27. Manet universale in actuali prædicatione de subjecto singulari. 28. Nec genus in unâ specie, 29. Nec species in uno individuo salvantur, 30. Differentia inferior non includit formaliter superiorem, aut genus, quod dividit. 31. Judicium est unus realiter indivisibilis actus. 32. Objectum illius materiale est identitas vel coïnexio inter subjectum & prædicatum. 33. Formale affirmativi eadem identitas saltem apprehensa, negativi negatio identitatis. 34. Veritas formalis est ipsi inadæquatè extrinseca. 35. Nullum de vero potest transire in falsum. 36. Contradictoriorum singularium de futuro contingente alterum est determinatè verum, alterum falsum, præscindendo à decreto Dei. 37. Hec determinata veritas, aut Dei præscientia non obstat libertati humanae. 38. Discursus, ut est tertia mentis operatio consistit in solâ conclusione. 39. Hec sequitur dubitatem partem. 40. Attingit objectum

Etum præmissarum intrinsecè: 41. Ad illius tamen assensum non requiritur judicium reflexum de bonitate consequentiarum. 42. Præmissæ influunt directivè tantum. 43. Necessitant quo ad speciem & exercitium. 44. Intellectus potest idem simul sci-  
re, credere, & opinari. 45. Etiam eodem actu.

## Ex Metaphysicâ.

1. **M**etaphysica est scientia speculativa entis ut ens est. 2. Ens reale est id, cui ab intrinseco non repugnat exister. 3. Est univocum. 4. Differentiarum entis præscindunt ab ente. 5. Unitas est indivisio rei in se. 6. Distinctio realis indivisio rei à se. 7. Ab omnibus individuis abstrahi potest ratio univoca individui. Principium individuationis intrinsecum sunt ipsa prædicata intrinseca rei similia prædicatis alterius rei. 8. Ens dividitur in decem prædicamenta. 9. Substantia est ens per se; accidens in alio. 10. Quantitas est accidens absolutum (quale contra Atomistas dari defendimus) distinctum à materiâ, exigens actualem impenetrationem partium quoad se, & quoad aliud corpus: 10. Unde ejus essentia est radicalis impenetrabilitas. 11. Qualitas est accidens absolutum ex se penetrabile. 12. Relatio est habitudo unius ad aliud. 13. Prædicamentales dantur à parte rei. 14. Consistunt in solâ, & adæquatâ ratione fundandi. 15. Fundamentum non refertur ad terminum ut formaliter relativum. 16. Præter extrinsecam etiam admittenda est intrinseca possiblitas. 17. Essentia non habet aliquod esse actuale quidditativum, aut diminutum ab æterno. 18. Intrinseca possiblitas consistit in ipsâ habitudine terminorum. 19. Es-  
sentialis & existentia, & possiblitas realiter identificantur. 20. Impossibile potest cognosci: adeoque admitti debet ens ratio-  
nis. 21. Quod etiam ab intellectu divino fieri potest. 22. Ne-  
gationes omnes sunt purum nihil. 23. Re positâ alicubi tollitur ubique ejus negatio absoluta. 24. DEUM dari demon-  
strat Metaphysicus. 25. Connectitur ejus omnipotentia es-  
sentialiter cum possibiliitate suorum effectuum, etiam in in-  
dividuo.

# *Ex Physicā.*

1. **P**hysica est scientia speculativa corporis naturalis ut naturale est. 2. Admittenda est materia prima in sensu Aristotelico: 3. Ut & forma substantialis. 4. Corporis in fieri tria sunt principia, materia, forma & privatio. 5. Principiatio est immediata successio. 6. In facto esse sunt duo: materia & forma. 7. Principiatio est unio. 8. Materia prima habet essentiam & existentiam propriam. 9. Non potest naturaliter; 10. Divinitus tamen spoliari omni forma. 12. Quo casu ejus conservatio nequidem esset supernaturalis quoad modum. 13. Duplex forma, non naturaliter, sed divinitus informare potest eandem materiam: 14. Aut una plures materias discontinuas. 15. Modi dantur à suis modificatis realiter distincti. 16. Unio est modus distinctus realiter ab extremis: 17. Non ab educatione. 18. Est unica in composito. 19. Subjectata in materia. 20. In composito substantiali necessario substantialis. 21. Compositum non distinguitur à partibus. 22. Subsistentialia naturae compleæ superaddit negationem unionis perfectivæ cum alio. 23. Causa est principium per se influens esse in aliquid influxu defectibili. 24. Physicā non agit, nisi physicè existens. 25. Nec in simile. 26. Aut diltans, nisi supernaturaliter tantum. 27. Possunt se duo mutuo causare quoad secundum esse supernaturaliter; 28. Non tamen quoad primum esse. 29. Idem verò nec quoad secundum esse potest producere se ipsum. 30. Idem effectus supernaturaliter pendere potest à duplice actione totali, non naturaliter. 31. Datur vera causa efficiens creata, 32. Substantia est immediatè operativa. 33. Solum accidens non est causa adæquata substantiæ. 34. Actio physica est causalitas causæ efficientis, realiter distincta ab agente, termino & passo. 35. Si eductiva est, recipitur in solo passo: 36. Vis causativa finis est sola bonitas objecti. 37. Infinitum categorematicum creatum implicat. 38. Item creature perfectissima. 39. In singulis de continuo sententiis ea nobis occurront, ut nullam amplectimur tanquam nobis fatisfacientem. 40. Potest idein corpus divinitus esse circumscripтивè in pluribus locis adæquatius. 41. Implicat creature ab aeterno. 42. Ubicatio & duratio identifi-

cantur

erantur actioni productivæ. 43. Vacuum naturaliter non datur; supernaturaliter est possibile. 44. Ea, quæ in metum vacui communiter refunduntur, probabiliter tribui possunt gravitati & elasticitati aëris. 45. Intensio qualitatum sit per additionem gradus homogenei ad homogeneous. 46. Anima est actus primus corporis organici potentia vitam habentis. 47. Corpus organicum constituitur per formas partiales. 48. Potentiae non distinguuntur realiter ab anima. 49. In eodem vivente nec simul, nec successivè sunt plures animæ. 50. Actus vitalis intentionalis consistit in actione & termino distinctis. 51. Habitus in speciebus.

## EZHAMEPON

1. *In principio creavit DEUS cælum & terram.* Unde mundus non fuit ab æterno. 2. Creatione strictè tali produxit materiam, formas eodem instanti eduxit. 3. Per cælum intelligitur Empyreum, in quo simul condidit Angelos. 4. Per terram globus terraqueus cum abyso. 5. Eodem die facta est lux, quam corpus aliquod lucidum fuisse sussinemus. 6. Divisa est lux à tenebris productione lucis in uno hemisphærio, unde remanebit nox in altero. 7. Die secundâ ex abyso aquarum ascendentium à globo terræ usque ad cælum empyreum factum est firmamentum & omnes orbes cælorum. 8. Dum narrantur aquæ superæ ab inferis divisæ, superas, proximè sub cælo empyreo existentes, veras & naturales existimamus. 9. Die tertiâ aquæ inferiores à terrâ separate sunt: & terra non tantum accepit virtutem producendi plantas, sed omnes plantarum species produxit. 10. Hoc eodem die conditus est paradius. 11. Qui locus est corporeus. 12. Die quartâ Sol, Luna, astra producta sunt. Omnia, quæ de his textus refert, interrogati explicabimus. 13. Quintâ die ex aquâ, præbente materiam ad eorum generationem, producti sunt pisces & aves. 14. Et plurimi quidem in quâque specie. 15. Die sextâ jumenta, reptilia, & bestiae terræ ex terrâ prodierunt. 16. Etiam venenatæ & noxiæ; quod & de plantis dicimus. 17. Hoc etiam dic

die conditus est homo Adam : corpus ejus ex luto tercæ, Eva  
ex illius costa. 18. Non tamen propterea nec antè , nec post  
fuit monstruosus. 19. Probabilius Adam extra, Eva in paradi-  
so condita est.

## Ex Ethicâ.

1. Ethica Actiones humanas dirigit ad honestatem. 2. Ob-  
jectum voluntatis terminativum & adæquatum est bo-  
num & malum. 3. Formale ultimò motivum est bonitas sal-  
tem apparens. 4. Non datur in voluntate actus puræ fugæ. 5.  
Nequit amplecti malum quâ malum , & averia. i boni in quâ  
bonum. 6. Ex duobus bonis æqualibus potest eligere alter-  
utrum: 7. Et ex inæqualibus niplus. 8. Libertas indifferen-  
tia est formaliter in sola voluntate. 9. Libertas actui locu. nro est  
adæquatè intrinseca. 10. Nequit exerciti per omissionem pu-  
ram liberam. 11. Duplici DEUS concursu ad libertatem cre-  
atam concurrit: in actu 2do immediate, qui juxta omnes Ca-  
tholicos nec libertatem lredit , nec DEUM facit authorem  
peccati. 13. Et in actu primo. 14. Nos, ut salva stet libertas,  
eum indifferentem esse debere contendimus. 15. Unde præ-  
determinatio physica Thomistarum nobis videtur tollere liber-  
tatem: 16. Nec consistere cum sanctitate Dei. 17. Sola enim  
indifferentia judicii non sufficit ad libertatem. 18. Nec eam  
salvare videtur sensus compositus & divisus Thomistarum. 19.  
Neque prædeterminatio Thomistica ex D. Th. eruitur. 20. Si  
quis contendat, eum docere præmotionem ad utrumlibet, fa-  
cile nos consentientes habebit. 21. Unde DEUS non deter-  
minat ad speciem: 22. Licet ad individuum ; at negativè tan-  
tum. 23. Ansam concludendi sumimus ex illo Aristotelis 1.  
Eth. c. 9, quod *Ethica sit ars vivendi secundum virtutem, cu-*  
*mus præmium beatitudo*. Hæc bonum aliquod creatum  
esse non potest: ergo increatum, scilicet DEUS, qui  
est noster , & totius Philosophia nostra

F I N I S.

Coloniae è Typographia GEREONIS ARNOLDI SCHAUERG.



J. M. J.

PHILOSOPHIA  
PERIPATETICA  
AUTHORITATE ET RATIONIBUS  
BREVITER STABILITA.

*Ingressus.*



Hilosophia , si nominis Etymologiam spectes , studium est , & amor sapientie ; si essentiam , rerum diuinarum & humanarum , causatumque , quibus haec res continentur , scientia : quippe non res creatas tantum & terrestres , sed & celestes , ipsum etiam DEUM speculatur , adeo ut concepabilia quæque pro objecto habeat . & quotquot longè , latèque per orbem uniuersum diffunduntur scientiae , ab hac , veluti à sole planetæ , lumen recipient .

A

Verita-

Veritatem & scientiam dari malè negârunt veteres Academicci, idcirco Sceptici appellati, quòd de omnibus dubitandum esse dicebant. Refellunt hos Dialectici, suo argumento, quod vocant mirabile : *non datur veritas: ergo datur veritas.* Non minus malè Cartesius, illorum errorem imitatus, certissimam indagandæ veritatis viam in eo statuit, si de omnibus, etiam quæ alias pro certissimis habuimus, studeamus dubitare : sic enim necesse fuerit, priùs stulte scere, quâm philosophari. Et si principia lumine naturæ nota, in dubium revocanda sint ; quid prohibebit, quòd minus de illâ cognitione : *ego cogito, ergo sum*, quam omnium primam & certissimam venditat, pariter dubitetur : sed ecce ! momento destruit, quod tanto conatu alias stabilire conatus est, factis etiam pluribus ridiculis, & fanaticis suppositionibus, Philosopho Christiano indignis, dum *ex veritate Dei vult recte inferri, omnia, quæ clare percipimus, vera esse.* At, præterquam quòd principium illud, ut observant AA., plurimum faveat hæreticis, maximè illis, quos *Tremulos* vocant (unde etiam quidam in Thesibus suis Lovanii editis cautè adjicit : *cavendum, ne principium illud nimium extendatur, néve pro regulâ credendorum statuatur*) nonquid non minus DEUS dedit nobis facultatem volendi bonum, quâm cognoscendi verum ? & tamen sâpe in peccata labimur ; quidnî etiam in errores incidere possumus, licet DEUS sit summè verax, & nobis facultatem cognoscendi verum dederit ? Verbo Cartesius hâc suâ methodo viam monstravit, quæ non dicit, sed abducit à veritate ; nam de omnibus etiam verisimilis dubitare, ut veritas obtineatur, idem est, ac hominem enormiter vulnerare, ut à vulneribus sanetur, vel, ut inquietabat Nazian. orat. 3. *per scopulos, imò per naufragia ducere ad littus.*

Scientiam itaque possibilem contendimus, sed non investigandam Cartesii viâ. Scientiam esse Philosophiam, quis ambigat? scientia autem ab Aristotele dividitur in Speculativam & practicam: speculativa in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam: practica in activam & factivam: activa alia est moralis, sive Ethica; alia rationalis, sive Logica; alia aīs recordandi: factiva (quæ dicitur tantum scientia latè sumpta) complectitur artes Mechanicas. Nos, cùm solam Philosophiam profiteamur, quatuor ejus partes tractandas suscipimus, Logisticam, Metaphysicam, Physicam & Ethicam.

# LOGICA

Sive

## *Philosophia Rationalis.*

Inter Philosophiae partes, sicut ordine, sic utilitate & necessitate primum locum, tanquam aliarum clavis. obtinet Logica. Illa duplex est, naturalis & artificialis. Dari Logicam naturalem, docet Aristoteles l. 1. top. c. 7. inquiens, *homines à naturā esse Dialeticos*; & meritò tanquam experientiā certum supponitur: videmus enim, multos sine artis praefidio hic & nunc bene discurrere. In quo verò Logica naturalis consistat, non convenit inter AA.; nobis hæc placet opinio, quod sit dictamen practicum particulare, dictans, operationem aliquam sic vel sic debere fieri; quod dictamen erit Logica naturalis actualis: facilitas orta ab ejusmodi

dictamine s<sup>a</sup>pē repetito, habitualis. Sed de artificiali tantū nobis est quæstio.

Dari Logicam artificialem tām actualēm, quām habitualēm, communis est sententia contra aliquos apud Averiam hīc q. 1. S. 2. Dantur enim cognitiones, sive dictamina quædam universalia, ex præmissis certis & evidētibus deducta, quæ nobis tradunt modum, rectē definiendi, dividendi, iudicandi & argumentandi: per quæ dictamina Logicam artificialem actualēm intelligimus; quæ si s<sup>a</sup>pīus repantur, oriatur facilitas ea reiterandi, quæ erit habitualis. Inventa igitur est Logica artificialis, ut dirigeretur intellectus noster, & securè in suis operationibus procederet, quod per solam Logicam naturalem haberi non potest. Natura quidem multò certius prœcedit, quām ars, in iis, quæ fiunt ex instinctu naturæ, & necessariō semper eodem modo, non verò in iis, quæ possunt vel bene, vel malè fieri, quales sunt operationes intellectus nostri, quæ licet fiant naturaliter, cùm tamen plerumque non fiant necessariō & eodem modo, beneficio regularum dirigi possunt, aut potiū potest ipse intellectus, qui p<sup>r</sup>æ aliis potentissimis hoc sibi proprium habet, quod sit reflexivus supra suos actus, atque ita intellige Aristotélem, dum ait: neque enim eorum est ars, quæ sunt secundum naturam.

## Systema Logicæ.

**A**ntequam autem progrediamur ulterius, ponendum aliquid & supponendum, ne cæcè procedamus, multa disputantes de naturâ Logicæ, ejusque objecto, nec scientes tamen, quid ipsimet per Logicam intelligamus. Volumus igitur nos, Logicam consistere in

in sequentibus actibus, veluti totidem præcipuis & universalibus regulis.

1<sup>ma</sup> *Definitio mentalis* debet esse cognitio repræsentans genus proximum, & differentiam ultimam rei, qua definitur. Et hæc est Logica definitiva.

2<sup>da</sup>. *Divisio mentalis* debet esse cognitio repræsentans partes totius, quod dividitur. Et hæc est Logica divisiva.

3<sup>ta</sup>. *Universalificatio mentalis* debet esse cognitio repræsentans multa sub uno predicato, in quo convenienter. Et hæc est Logica universalificativa.

4<sup>ta</sup>. *Individuatio mentalis* debet esse cognitio repræsentans differentiam individualem ultimam de uno solo predicabilem. Et hæc est Logica individuativa. Interim omnes hæc quatuor regulæ comprehenduntur sub Logicâ apprehensivâ.

5<sup>ta</sup>. *Judicium mentale* debet esse cognitio aliquid de aliquo enuncians simpliciter. Et hæc est Logica judicativa.

6<sup>ta</sup>. *Discursus mentalis* debet esse triplex iudicium, quorum duo sint inferentia, tertium illatum. Et hæc est Logica discursiva.

Ansam sicut explicandi regulas Logicæ, dant Aristoteles, dum Logicam vocat artem, vel scientiam rationalem: & D. Th. 1. post. lect. 1. his verbis: *Ars quadam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè & faciliter procedat, & hæc est ars Logica, id est, rationalis scientia, quæ non solum rationalis est ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam.*

Dum itaque prædictorum actuum naturam volamus ipsius Logicæ esse naturam; id videlicet, in quod

tendunt, eorundem, & consequenter ipsius Logicae, objectum, ab Aristotelis & D. Thomae mente minimè nos recedere arbitramur.

## Præliminaria Logicae.

### Logica Objectum.

**A**TQUE hinc imò ab objecto Logicae materiali proximo rejiciimus voces externas, informam definitionis, divisionis, argumentationis dispositas; quia actus Logicae adducti nullam faciunt mentionem vocum externalium, sed solius cognitionis; ideoque totum suum finem obtinent in cognitione. Neque id de Logica mentali, quæ ad se est, intelligi velis, cui alia, Logica scilicet vocalis adjungenda sit, quæ sit ad alios, quæque artificium in rectâ vocum dispositione consistens pro fine habeat: nam facile suppositum nos negamus, utpote nullam ejusmodi Logicæ necessitatem agnoscentes; cùm totum artificium, quod in definitione, divisione, argumentatione vocalibus esse videtur, haberi possit ope Dialecticæ, Grammaticæ & conceptus interni per modum ideæ concurrentis: quod artificium dici potest representativè, non eritativè, Logicum. Dum Aristoteles tractat de vocibus, non Logicum agit, sed Tyronum instructorem, ad quos instruendos usus vocum velut instrumentum requiritur. Regulas de æquivocis, analogis, syllogismo sophistico, quâ promptitudine ab aliis Logicae incorporantur, eâ facilitate à Logicâ nos exulare jubemus.

Deinde ex eâdem ratione secundæ intentiones objectivæ, sive res, prout opponuntur conceptibus, & denominantur

minantur subjectum, prædicatum, universale, definitum, ad objectum Logicæ materiale proximum, & immediatum non pertinent. Verum est, quod denominations Logicæ jam memoratae duo includant. scilicet rem, quæ subjicitur, prædicatur &c. & deinde cognitionem subiectum, prædicantem &c. sed non utrumque, at solam cognitionem ex illis duobus pro fine suo habent regulæ Logicæ, ad quam ejusmodi denominatio naturaliter & inimpedibiliter consurgit. Sola igitur forma denominans, quæ est cognitio, ad Logicam spectat; res vero cognitione Logicali affecta æquè parum ad Logicam pertinet, quam Cæsar depictus pertineat ad artem pictoriæ, quæ solùm in picturâ perficiendâ occupatur & silit. Nec propterea regulæ Logicæ à nobis torturæ subjiciuntur; licet enim torta videatur eorum explicatio, si sensus grammaticalis spectetur, non tamen ita; si consideretur finis Logicæ, quem ex Aristotele & D. Th. didicimus. Posuit ille quidem syllogismum demonstrativum & probabilem; non tamen ita, ut Tyrones eos ratione formæ Logicæ distinctos arbitrarentur, cùm tantum differant ratione materie, quam Logica præsupponit, & per se non curat. Hoc concedimus, res dici posse objectum remotum, mediatum, & in obliquo importatum; eò quod Logica versetur circa cognitiones, ut sunt tales aut tales imagines formales rerum.

Nec 3tiò audiendus Giattinus, intellectum humanum pro objecto statuens, aut hominem rectè intelligentem. Quæ enim regula de intellectu aut homine mentionem facit. Dirigitur quidem per Logicam intellectus, non tamen, ut ipse rectè fiat, sed ut rectè, id est, logicè operetur. Sicùt igitur nemo vult artificem ab arte directum esse objectum artis, sed artefactum ab artifice rectè productum, sic quoque hinc de intellectu sentiendum.

tiendum. Unde Logica quidem intellectum dirigit & perficit ut potentiam operantem, non autem ut opus operabile: quod verò cognitio cum rectitudine in intellectu recipiatur, atque inde perficiatur (cum id præter Logice finem & intentionem fiat) tam patùm inde intellectus objectum Logice erit, quām aer recipiens sonum artificiale Musices hodie dicatur esse objectum artis Musicæ. Subjectum rectitudinis physicum hic noli quaerere; sicuti enim illud solis artibus factivis, sic metaphysicum activis competit. His igitur opinionibus rejectis.

Objectum Logice materiale, proximum & adæquatum statuimus tres mentis operationes, nisi auctoritate Aristotelis & D. Th.; quæcunque enim præcepta Logice existunt, nihil aliud, quām has operationes attingunt, ut eorum præceptorum inductione cuilibet palam fiet. Nec juvat dicere cum Joan. à S. Thoma, Babenstab. & aliis (qui conceptus objectivos materiam Logice propriam volunt) quod operationes intellectus sint tantum via & tendentia ad objectum; sicut in Architectonica effectio ad domum. Nam Architectonica est factiva, quæ, ut scitur ex Aristotele, præter effectiōnē alium habet finem; non ita artes activæ qualis est Logica. Quare licet cognitione respectu intellectus in ordine ad res habeat se tantum ut quo; quia est id, quo res cognoscuntur, ipsa autem non cognoscitur: respectu Logice tamen habet se ut quod; quia est id, quod Logica considerat, præscribit, dirigit. Patet in artibus voluntatis, qui quamvis respectu voluntatis sint id, quo voluntas objectum prosequitur; respectu Ethicæ tamen habent se ut quod.

Sunt autem objectum omnes & singulæ (apprehensio videlicet complexa & incomplexa, judicium & discursus) non quidem acceptæ pro singulis generum, sed generibus singulorum. Male rejiciunt aliqui apprehensionem incom-

intcomplēxam: licet enim non omnis apprehensio dirigi possit, ea scilicet, quæ omne voluntatis imperium antecedit, ac dein intellectus apprehendat necessariò objectum quoad rem apprehensam, non tamen ita apprehendit quoad modum apprehendendi; ad hunc enim potest dirigi à regula & determinati ab imperio voluntatis. Item fatemur, apprehensionem incomplexam non esse modum sciendi perfectum & formalem, neque veritatem formalem physicam illi competere: at cùm solam veritatem Logicam ratio objecti Logicæ postulet, & aliquæ regulæ modosciendi imperfecto & dispositivè tali contentæ sint: cur apprehensionem incomplexam ex Logica exturbemus? Angustius circumscribunt objectum Logicæ Conimbricenses, solum adstruentes discursum; sed minus audiendi sunt, quam priores: nam etsi discursus apprehensiones contineat & judicia, non tamen potest de illis prædicari in recto, quod ad objectum adæquatum requiritur.

At cùm operatio intellectus, si adæquatè spectetur, ex duobus componatur, ex actione & termino, sive verbō mentis, in probabili sententia realiter distinctis, suboritur quæstio, an adæquatè, an inadæquatè spectata Logicæ objectum materiale dicenda sit. Soli verbō mentis hoc nos privilegium concedimus: hoc enim solum est imago sive repræsentatio objecti, cùm actio sit tantum produc̄tio imaginis, & sola ratio formalis determinans Logicam ad dirigendum verbum mentis, & determinans hoc verbum ad dependendum à Logica tanquam causâ suâ directivâ: Logica autem eo tantum titulo artingit operationes, quatenus sunt repræsentativæ, ut palam fieri considerant regulas. Ita nobiscum sentiunt De Benedictis in *Proæmio Logicæ* c. 5. §. 2. & Compton. Dum Arist. & D.Th. docent, quod artes activæ præter actionem non habeant alium finem; solum inde deduci potest, quod Logica præter actionem non habeat aliud opus externum, quod permā-

neat, postquam factum fuit, non verò, quod non habeat aliud internum: & hoc dicendum est omnibus, qui pro objecto Logicæ statuunt operationes intellectus, & in iis terminum ab actione realiter distingunt. *Nec obest*, quod actio, per quam ex directione Logicæ producitur verbum mentis rectum, habeat speciale modum tendendi: ex eo enim nullatenus sequitur, eam habere rectitudinem Logicam: *ratio est*, quia actio non intendit à Logicâ *ut quod*, sed *ut quo tantum*: sicut ergo actio productiva caloris v.g. non dicitur habere calorem aut calidam: ita hic. Sublatâ actione artificiali non habetur quidem verbum mentis rectum *participialiter*, potest tamen haberi *nominaliter* rectum: quod Logica semper velit verbum mentis rectum per actionem artificialem, probare incumbit afferenti. Possunt igitur sine actione artificiali haberi illa prædicata, quæ intendit Logica in suo materiali. Ex quo ulterius.

Concludimus, verbum mentis naturaliter & casu rectum ad objectum materiale Logicæ quoque pertinere: licet enim actio ab his numero principiis essentialiter pendeat, utpote entitas modalis; verbum mentis tamen, cum sit quid absolutum, jam per hanc, jam per aliam actionem produci potest: adeoque quod ante productum fuerat per actionem naturalem, potest nunc ex directione Logicæ produci per artificialem. Quid ergo prohibet, quod minus ad objectum Logicæ pertineat, cum omne illud dicatur, & sit objectum artis, quod potest dirigi, & fieri tanquam opus dependenter ab arte? frustra enim ad objectum Logicæ simpliciter quis requirat, ut sit in actu secundo directum à Logicâ artificiali. Scientiae practicæ sunt quidem ex fine suo intrinseco directivæ; at non hoc sensu, quod habeant tantum pro objecto operationem in actu secundo à se directam; sed hoc sensu, quod habeant inclinationem ad operationem dependenter à se

à se producendam. Verbum igitur mentis rectum specificativè acceptum idem manet, sive per actionem naturalem, sive per artificialem producatur: ab actione artificiali accipit quidem denominationem aliam, sed accidentalem tantum, & extrinsecam. Neque propterea frustraneæ sunt regulæ: nam pergunt ad hoc deservire, ut illuminent intellectum, ad producendum potius verbum mentis rectum, quam incorrectum: ut illud facilius producatur: denique ut melius producatur, non quidem quoad substantiam verbi mentis, sed quoad modum actionis, scilicet artificialis dependentis à regulâ, & certificantis intellectum, quod bene operetur.

Sed quæres nunc, quomodo objectum materiale. ut contradistinctum à formalí, sive in sensu metaphysico exprimendum sit? & præcisè sub hoc prædicato: *imago mentalis*. Suadent hoc regulæ supra adductæ, sic v.g: definitiva vult, ut fiat *imago mentalis representativa generis & differentiæ*.

Cùm verò hæc imago sub prædicato dirigibilitatis attingatur à Logica, verbum mentis incorrectum ab ejus objecto excluditur, utpote directionis incapax, quod neque putamus propriè dici objectum fugæ aut reprobationis: nam hoc ipso, quod præcepta Logicæ directè doceant facere operationes rectas, sufficienter excludunt incorrectas per ipsas operationes rectas: ac deinde præcepta negativæ revera superflua sunt. Quod regulæ positivæ aliquando negativè explicentur, per accidens iis est, quæ explicaciones potius sunt explicantium regulas. quam ipsius Logicæ.

Non tamen hinc aliquis inferat, dirigibilitatem esse objectum formale quod Logicæ; non enim regulæ sunt ad hoc, ut verbum mentis sit dirigibile, sed ut verbum mentis dirigibile fiat rectum, habeat talem & talem representationem: dirigibilitatem igitur passim presupponit

ponit Logica velut conditionem requisitam ad hoc, ut verbum mentis possit fieri rectum, & sine qua non est objectum Logicae. Unde si dicas, operationes ut dirigibilis sunt objectum Logicae, dirigibilitas tantum reduplicatur tanquam ratio formalis sub qua, non tanquam ratio formalis qua. Exempla habes in sequentibus: *paries ut visibilis videtur, ignis ut approximatus urit.*

Atque ex his facile perspicitur, quodnam sit objectum formale quod Logica, illa scilicet praedicata, quae Logica vult primari inesse verbo mentis seu imagini mentali. Praedicata illa dupliciter summi possunt, absolute & respectivè. Si ea summis respectivè, consistunt in participiali conformitate cum regulâ: adeoque rectitudo Logica hoc sensu accepta verbo mentis inadæquatè est extrinseca; frustra enim in qualitate absoluta respectum essentialè quæras: nec, si quis ejusmodi rectitudinem objectum formale statueret, cogeretur admittere, regulam habere se ipsam pro objecto; non enim pro objecto haberet conformitatem quidditative sumptam, sed sumptam denominativè. At nos eadem absolute accepta consideramus, scilicet pro illa talitate, quam Logica verbo mentis vult inesse, & nos inesse cognoscimus sine respectu ad regulam v.g. esse imaginem representativam generis & differentia, esse representativam partium divisi &c. atque sic accepta volamus esse formale metaphysicum; quia, ut ex hactenus dictis constat, Logica vult imaginem mentalem propter talem & talem representationem. Hec autem representatione neque ut naturalis, neque ut artificialis pro objecto statuitur; sic enim involvitur actio: sed quae naturalis, quae artificialis, illa in actu primo, hac in actu secundo: haec utraque non physicè, sed metaphysicè imagini mentali supervenit, in quantum haec à nobis concipitur indifferens ad talem & talem representationem.

Interim rectitudo hæc sic explicata respectu aliquarum regularum constituitur partialiter per veritatem physicam denominatiyè acceptam. Dixi respectu aliquarum; plures enim veritatem physicam ex fine suo intrinseco non attingere, clarum est; sic reperiuntur judicia physice falsa, & logicè vera: idem est de variis discussib; ut constat in Logicâ Topicâ. Logicam igitur definitivam, divisivam, universalificativam intelligimus cum Comptono Disp. 8. Wietrowsky p. 1. concl. 4. c. 1. §. 3. Giattino & aliis. Solâ enim sublatâ veritate physicâ tenente se ex parte actus, non habetur forma bona definitionis, divisionis &c. quis enim dicat bonam hanc definitionem hominis: *Animal rugibile?* & hanc divisionem: *Animalum aliud rationale, aliud ligneum?* & cur? quia deest veritas physica, sive quia actus non repræsentat objectum sicut illud se habet. Verum est, quod sublatâ solâ sic se habentia objecti tollatur veritas physica quidditatiyè sumpta; at non tollitur denominatiyè accepta, & prout intendit à Logicâ: si enim tollis solum v.g. genus objectivum, relinquis omnia ab illo adæquatè distincta: ergo relinquis actum repræsentantem, vel representationem actus. Præsupponunt regule rem objectivam, & tantum volunt illius representationem: sic licet sutoria velit calceum conformem pedi, pictoria imaginem conformem Cæsari; non tamen illa pedem, sed calceum, non hæc Cæsarem, sed picturam intendit & pro objecto habet. Solam igitur conformitatem, in quantum se tenet ex parte actus, Logica in verbum mentis inducit, quæ inductio nihil est aliud, quam physica productio verbi mentis ad regulam Logicæ.

His omnibus si cum Thomistis superaddas ens aliquod rationis, quod ad cognitionem primam ac directam, tanquam fundamentum, à cognitione reflexâ (vel si mavis cum aliquibus, ipsâ directâ) tribuente rebus rationem sub-

subjecti, prædicati, universalis &c. velut à causâ, aut saltem conditione resultare in rebus arbitrariis, aliquid adstruis, quod nullatenus agnoscimus, & ex omni capite superfluum rejicimus. Frustra enim in rebus tale ens fabricatur, ut hæ denominentur subjectum, prædicatum, genus &c. siquidem hæ denominationes, utpote extrinsecæ, habentur non tantum fundamentaliter, sed etiam formaliter à cognitione v.g. subjiciente, prædicante, generizante &c. sicut à volitione habetur volitum, ab amore amatum, à visu visum, absque aliquo ente in rebus volitis, amatis, visis &c. resultante; unde frustra in propositionibus, universalibus, syllogismis &c. compositidem, relationem, ordinem, respectum, comparationem, unitatem, & si quid est hujusmodi, intrinsecam quæris. Sic v.g. intellectus faciens universale, non cognoscit signatè naturam ut realiter abstractam ab individuis, nec intrinsecam unitatem multis; sed concipit confusè multa non cognitis clarè eorum differentiis, eaque exercitè facit unum extrinsecè. A denominationibus autem physicis ad logicas argumentari, est velle denominationis unius naturam, ex naturâ alterius omnino diversæ metiri. Sed inquires: ens rationis purum objectivum logicum requiritur, ut assumatur tanquam idealiter directivum trium mentis operationum. Rz. has sufficienter dirigi à regulis Logicæ. Et sanè si prima v.g. definitio fieri rectè potest abique exemplari talis entis, cur aliae ita fieri non poterunt.

Agnoscimus quidem & nos ens aliquod rationis esse objectum Logicæ, sed illud volumus esse effectivum & subjectivum, non pure objectivum: & hoc illud est, de quo loquitur S. Doctor 4. Metaph. scribens: *ens rationis dicitur de illis intentionibus, quas ratio invenit in rebus consideratis, sicut intentio generis & speciei, quæ quidem non inveniuntur in rerum naturâ ( utpote quia non sunt entia naturæ, quæ sola extra animam repertūtur,*

tur, universalitas autem ipsa est in anima, & nullo modo in rebus) sed considerationem rationis consequuntur; nam genus, species &c. sunt aliquid totum, quod ex consideratione rationis, sive ex cognitione tanquam ex forma, & re cognitâ, tanquam ex subiecto consurgit: forma autem denominans est suo modo prior denominativo, sicut pars est prior toto. quæ denominations cum sint concreta logica, vel reduplicative, vel specificative sumi possunt; si specificative accipis, ens illud rationis effectivum & subiectivum extrinsecum illis erit; intrinsecum, si reduplicative.

Plus dicimus: Etiam si ad cognitiones logicè rectas resultaret ens rationis Thomisticum, tamen non esset objectum Logicæ immediatum & per se intentum. Ens enim resultans ad rem bene definitam, divisam &c. supponit definitionem &c. logice rectam, adeoque totum finem regularum Logices; quemadmodum echo ad sonum musicæ consequens presupponit artificium musices præhabitum. Præterquam quod tale ens rationis merè naturaliter & necessariò sequeretur ad operationes à Logicâ directas; idéoque per se immediate nusquam à Logicâ attingeretur, cuius labor in solâ rectâ cognitione ponendâ consumitur.

Superest objectum Logicæ attributionis & principalitatis: sed cum hic tot sint sententiæ, quot capita, nos sic statuimus cum aliis, objectum attributionis intrinsecum esse objectum partiale complexum, quod primariò & ultimò intenditur à scientiâ, & ad quod cetera omnia attributa vel ex naturâ suâ, vel ex naturâ scientiæ referuntur, tanquam ad finem suum intrinsecum, ut ipsum tamen non referatur ulterius: extrinsecum est objectum partiale complexum, ad quod cetera objecta partialia à primis Logicæ inventoribus relata sunt, uti & ab aliis Philosophiam v. g. profitentibus, communiter referuntur: principalitatis dicimus illud, quod est nobilius & perfectius

etius in scientiâ. Quibus positis, nullum in Logicâ objectum attributionis intrinsecum agnoscimus. Syllogismum perfectum qui adstinent, doceant, apprehensiones, definitiones, judicia &c. ex naturâ Logicæ aut propriâ exigentia ad illum ordinari; ex nullâ certè regulâ id evinci poterit. Sunt quidem apprehensiones & judicia partes syllogismi, & apta ad illum referri; at manent in sua entitate quid completum, nec exigunt actu in illo esse. Imperfecta sunt; at positivè tantum & respectivè, non privativè: hoc ordinatur ad perfectius, non illud. Si igitur aut cum Comptono definitionem, aut cum Arriaga demonstrationem, aut cum Semery operationem essentialiter rectam statuis, a nobis pariter dissentis: nam neque ad definitionem, neque ad demonstrationem referuntur cetera omnia, cum ad illam non referatur discursus, neque ad hanc syllogismus topicus, qui non nisi valde remotè ad demonstrationem servit, in quantum paulatim disponit intellectum ad discursum evidenter eliciendum: operatio autem essentialiter recta est objectum totale & adequatum.

Ceterum non negamus, apprehensiones, judicia &c. ad discursum ordinari posse: atque ideo hic objectum attributionis extrinsecum dici potest. Licet enim judicia v. g. propter se intendantur, intenduntur tamen simul propter aliud; quia non tantum volumus bene judicare, sed etiam discurrere. Et hoc videtur insinuare D. Th., dum l. i. de interpret. ait, primam mentis operationem referri ad secundam, secundam ad tertiam.

Demonstratio objectum principalitatis recte statuitur: quia hæc sola facit nos perfectè scire & intellectum convincit, non tantum evidentiâ formæ, sed etiam materiæ, circa quam sit. Non juvat Comptonum, qui stat pro definitione, quod illa explicet naturam rei, adeoque perfectissime manifestet objectum: nam id facit tantum quoad

quoad essentiam, & per nudam apprehensionem, demonstratio autem simul quoad proprietates & simul per assensum certissimum unde & hæc proximius ad cognitionem intuitivam accedit, quam definitio.

### *Logica genus remotum, proximum, Proprietates & Adjuncta.*

**L**ogica alia est docens, alia utens, utraque actualis, & habitualis ; neque hæc, neque illæ distinguuntur realiter, nisi cum Ponzio Disp. 2. Log. q. 6. n. 61., per Logicam actualem utentem intelligas actus à Logicâ directos, per docentem regulam potentem dirigere intellectum ad faciendas operationes rectas : sic enim realem distinctionem evidenter inducis. At nos, cum per Logicam actualem utentem intelligamus eandem universalem regulam actu applicatam & dirigentem, nullam, nisi ex parte obliquorum, realem distinctionem reperimus. Accipe igitur utramque specificativè, & eandem habebis. Exemplum habes in sole potente illuminare & actu illuminante. Unde sequitur, quod de Logicâ docente & utente specificativè acceptis non possint verificari contradictoria : si enim alius, quod utens sit regula actu dirigens, dirigere autem actu & non dirigere sint contradictoria ; ut verum dicas, oportet τὸ non sumere præcisivè, non exclusivè : omnis quidem regula à parte rei vel actu dirigit, vel non dirigit ; secùs in sensu formalí ; quia non necessariò concipitur ut actu dirigens, vel contra : sed potest ab utroque præscindi.

Idem judicium esto de habitualibus ; tales enim sunt habitus, quales sunt actus, à quibus generantur. Si quæ fortè in usu Logicæ utentis habitualis occurrat distincta difficultas, hæc non à Logicâ, sed ab aliis scientiis, circa

quarum materiam operatur, tollenda. **Habitus directus** & **executivus** tamen realiter distinguuntur, quando vel sunt in diversis potentiis, vel nova difficultas superanda est. **Neutrūm** in Logicā locum habet. Dum D. Th. dicit, quod in parte demonstrativa solum doctrina pertineat ad Logicam, usus vero ad alias scientias particulares, vult tantum, usum ratione materiae pertinere ad alias scientias, quae præbent materiam, in qua exercentur demonstrationes.

Logicam habitualem secundum omnem sui partem virtutem intellectualem sustinet communis contra Polizium: cum enim regulæ Logicæ nullâ exceptâ veræ sint, debet quoque Logica habitualis inclinare & disponere ad verum: ergo est virtus intellectualis. Quod actus mediati sâpe falsi sint physicè, non obstat; quia semper sunt veri Logicè, & ab actibus immediatis, certis semper & veris directi, quibus per accidens est, quod hi physicè falsi sint. **Nec** juvat paritas desumpta ab habitu morali inclinante ad actum, qui imperet actum malum; nam talis actus imperans, cum sit contra regulas morum, necessariò dishonestus est, ad eoque & habitus in illum inclinans: licet autem regulæ topicæ & sophisticæ (si tamen sophistica in actibus positivis constat, & ad Logicam pertineat) imperent syllogismum probabilem & falsum, verissimæ tamen manent; ut consideranti patebit.

Quæritur nunc, ad quam speciem virtutis intellectuæ Logica pertineat. **R. quod** participet rationem scientiæ strictè dictæ. **Ratio;** omnes actus à nobis pro Logicā adducti deducuntur ex præmissis certis & evidentiibus. Disputant quidem viri docti de veritate regularum quoad nos, non vero quoad se; quo eodem sensu objectum illarum certum est, quod sufficit ad hoc, ut Logica dicatur cognitio certi sui objecti: non enim ad hoc requiritur, ut intellectus reddatur certus de **objecto**

in

in illâ ratione, quæ verè & exercitè significatur à regulâ; sed sufficit reddi certum de illo objecto, in quantum à regulis signatè ex primitur, estque v.g. definitio: cùm verò dubium sit, in quo ratio definitionis à regulâ expressa exercitè consistat, de hoc intellectus non redditur certus: ratio illa juxta nos debet intelligi de verbo mentis habente talem & talem representationem; quo sensu regulas etiam deducimus ex præmissis certis & evidentibus: at cùm Logica probabiliter sit istæ regulæ, manet tantum probabiliter scientia. Habet etiam Logica objectum necessarium, æternum, immutabile *quoad essentiam*, licet non *quoad existentiam*; quod scientiæ sufficit. Habet item objectum universale in dirigendo, sive in actu primo; in actu verò secundo non potest habere nisi singulare tantum: præcepta enim artium feruntur ad universalia, actiones verò ad singularia. Logica non est instrumentum scientiarum pure tale, neque ex fine suo intrinseco, cùm per accidens illi sit, quod ab aliis scientiis vocetur in auxilium. Dum Arist. ait 2. Met. c. 3., absurdum esse, querere simul modum sciendi & scientiam ( si tamen per modum sciendi intelligat ipsam Logicam ) intellige scientiam à Logicâ distinctam. Manet igitur Logica scientia.

Hoc tamen non impedit, quò minus illam simul facciamus artem: quia est habitus cum verâ ratione effectivus, rò effectivum ampliando, ut non tantum sit circa opus externum & permanens, sed circa quodvis, per qualemcumque actionem, modò ne sit actio moralis & electio, uti *activum* sumitur in definitione prudentiæ. Nec propterea unum membrum dividens virtutem intellectualē, includet alterum: quia in illâ divisione Aristoteles intelligit aut scientiam speculativam, aut artem factivam circa opus externum versantem: vel si hoc non placet, dic, divisionem non esse strictam, cùm juxta eundem sapientia etiam sit scientia, & tamen tanquam duo membra,

membra , dīvidentia virtutem intellectualem , statuantur . Habent quidem ars & scientia diversas definitiones , sed quæ se invicem non excludunt : sic brutum habet aliam definitionem , quam rō rivens , & tamen sunt realiter idem .

Habemus modò genus Logicæ remotum , de proximo magis dubitatur . Scotus eam scientiam facit purè speculativam , Suarez partim practicam , partim speculativam : at nos cum Arriagā , Oviedo , Conimbricensibus & Recentioribus turmatim , eam non modò simpliciter , sed & purè practicam volumus . Scoto consentire non possumus ; quia fundamento caret , requiri ad praxin , ut sit actio potentiae ab intellectu distinctæ ; sufficit , esse actionem à rectâ ratione dirigibilem . Fit autem intellectus practicus se extendendo ab actu dirigente ad directum ; cuiusmodi directum à S. Th. vocatur *opus exterius* , à quo , ait , sumi practicum . Si vis cum Ponzio , actus intellectus esse praxes imperatas ; necesse est , ut praxes simpliciter tales admittas ; neque enim alias actus voluntatis imperatus simpliciter praxis erit . Sed inquis : *practicum ex Aristotele est , cuius principium est electivum , vel electio . Repono ex eodem 2. Phyl. c. 86.* , ubi ait , *quod ars non deliberet : si non deliberat , quomodo eligit ? & tamen est practica . Intelligendus ergo est vel de pratico morali , vel cuius principium inadæquatum ad summum est electivum . Sed age , si nulla cognitio est practica , quæ non habeat pro objecto opus alterius potentiae ab intellectu distinctæ : quomodo igitur dictamen prudentiae , quod est practicum , potest regulare actum intellectus , puta , fidei divinæ ? Imò si actus voluntatis potest esse praxis , cur non actus intellectus ? certè sicut actus voluntatis potest ab actu intellectus dirigi , sic etiam una cognitio potest alteram dirigere . Ratio . inquit S. Th. l. i. poster. c. 1. non solum dirigere potest inferiorum*

feriorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est.

Unde Logicam non modò simpliciter, sed etiam hoc sensu purè practicam dicimus, quòd nullus in èa detur actus elicitus, qui simpliciter practicus non sit. Favent huic assertioni non obscurè pluribus locis Aristoteles & D. Th. : hic si aliquando videatur Logicam annumerare scientiis speculativis, ( omitsis aliis causis) ideo facit, quia scientiæ speculativæ utuntur operationibus Logice ad suos fines. Audiatur ipse opusculo 70., ubi ad 2. sic scribit : *res, de quibus est Logica, non queruntur propter se ipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias, & ideo NB. non continetur sub Philosophia speculativa, quasi principalis pars, sed quoddam quasi reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta, sive syllogismos & definitiones.* Et verò regulas Logice adductas si intuearis, reperies omnes tendere modo operabili in opus operabile : finis enim intrinsecus & adiquatus Logice alius non est, nisi directio & confectio verbi mentis ad rectitudinem Logicam. Unde si quis regulas quasdam adduxerit, qui non videntur esse practicæ ( quanquam ea videatur esse implicata in terminis ) aut non pertinent ad Logicam, aut, exigente ita fine Logice, implicitè directivæ sunt, & consequenter practicæ. *Si dicas, Logicam pro fine habere veritatem, & pro objecto speculationem, quæ sint scientiarum speculativarum.* Rz. quòd pro fine habeat veritatem, scilicet actuū immediatorum, non in èa sistendo, sed ad opus ordinando. Pro objecto autem habet speculationem ( scilicet definitionem, argumentationem &c. ) non ut talem, sed ut est operatio dirigibilis: unde eadem operatio in sensu reali est praxis & speculatio. Non tamen hinc inferas, eandem cognitio-

nem posse esse practicam & speculativam ; quia sic cogeris duo admittere contradictoria , scilicet sistere & non sistere in nuda contemplatione sui objecti . Noli autem , strictè loquendo dicere , praxin esse objectum Logicæ , sed opus practicatum : quia actionem à ratione objecti excludimus .

Porrò quia Logica est directiva actuum intellectus , quos inter sunt scientiæ actuales , hinc Logica ad eas in statu perfecto acquirendas est necessaria : tanquam inutilem ad alias scientias eam cum Gaslendo rejicere , prohibet experientia & commune diverbium : *Sine Logica Medicus est mendicus , Juris Consultus Juris tumultus , Philosophus morosiphus , Theologus cacologus.* Suffragantur experientiæ SS. PP. , & quidem Christus ipse , Teste S. August. argumentis ex Dialectica ad convincendos Iudeos usus est . *Nec obstat.* quod Logica non scrutetur naturas rerum ; sufficit enim , Logicam docere modum , quo uti possumus , dum rerum naturas investigare volumus .

Nolumus tamen eam cum Thomistis physicè , multo minus metaphysicè necessariam venditare . Cur enim astruamus miraculum ? aut cur dicamus , Deum non nisi per Logicam artificialem intellectui humano in aliis scientiis addiscendis succurrere posse ? An prima Logica artificialis , quæ in ratione scientiæ ejusdem est naturæ cum aliis , aliam Logicam artificialem presupposuit ? sicut ergo hæc persolam Logicam naturalem , reflexionem & experientiam acquisita est ; sic & aliæ in statu perfecto perfectione intrinseca sine miraculo acquiri poterunt . Dico : *intrinsecā* : ad quam frusta requires evidentiam de bonitate formæ , certitudinem reflexam , solutionem omnium sophismatum &c. ( quanquam & hæc per Logicam naturaliem haberi possint ) iis enim prærogativis gaudet sola scientia perfecta perfectione extrinsecā . methodicā & artificiosā .

ciosa. Sine Logica artificiali, sine cognitione reflexâ, & sine solutione sophismatum haberi posse certitudinem metaphysicam, præterquam quòd in prima Logica artificiali, & pluribus aliis cognoscamus, convincit nos pauperculus rusticus, credens v.g. Verbum Divinum esse incarnatum.

Moralem interim Logicæ necessitatem agnoscimus; quia licet aliæ scientiæ simpliciter & per vires humanas acquiri possint sine Logica; non tamen nisi cum summa difficultate & rarissimè: quod meritò refunditur in imbecillitate intellectus nostri, qui inter verum & falsum plerumque fluctuat, aut opinatur tantùm, nisi certis regulis alligetur, quas Logica subministrat. Unde D. Th. Opusc. 70. q. ult. a. 1. ad 3. ait, *necessitatem postulare, ut in addiscendo incipiamus à Logica.* Si qui fortè sine Logica aut Medicam aut Mathesin, aut alias scientias perfectè didiceint, necessitatem Logicæ moralē id non tollit: una enim hirundo non facit ver. Dum vult Aristoteles Mathesin & Metaphysicam addiscenda esse ante Logicam, accipendum est de facilioribus quibusdam & primis principiis. Quibus accedit, quòd, cùm Logica sternat viam ad alias scientias, meritò in illam primò incumbendum est: quæ licet aliarum scientiarum materiam non curet, nec difficultatem indè ortam per se tollat; illuminando tamen intellectum facit, ut faciliùs procedamus. Dico, *faciliùs*: ex quo non inferas, Logicam esse moraliter necessariam ad alias scientias acquirendas, in quantum faciliùs acquiruntur; falsum enim hoc est, sed scientiæ aliæ acquirendæ debent sumi specificativè, quæ exercitè per Logicam faciliùs acquiruntur. Noli autem à singulis partialibus scientiis ad totalem argumentari; respondebit enim Dialecticus, argumentationem à sensu ditributivo ad collectivum non tenere: una quidem Logica partialis

juvat ad alteram, quia tota in modis sciendi occupatur, quorum alter ad alterum viam sternit: securus est in aliis scientiis.

Non tamen concurrit Logica ad actus aliarum scientiarum [uti nec ad proprios] physicè, & in genere causæ efficientis, sed directivè tantum, quod commune habet cum aliis artibus. Nolumus id evincere ex eo, quod una cognitio non possit aliam effectivè producere: sed solùm ex eo, quod concursus directivus sit sufficiens, adeoque physicus superfluat. Species visibiles concurrunt physicè, calor alium calorem producit physicè &c. quia, si quid producant, alius illis concursus vel alia effectio tribui non potest: securus est in cognitione: solus igitur intellectus actus illos physicè producit: novæ formalitati in actu non necessariò semper correspondet novum principium effectivum; sed vel effectivum, vel directivum.

Neque etiam Logica habitualis est una simplex qualitas: actus enim Logicæ supra adducti ab objecto formalis specie diverso inter se specie differunt, neque ullâ unione physicâ cohærent; cum igitur habitus imitentur naturam actuum, à quibus generantur, erunt quoque tot diversi & disparati habitus, quot sunt actus, à quibus, sape elicitis, sunt geniti. Ubi S. Thomas docet, habitum esse simplicem qualitatem, ibi agit de habitibus insulis virtutum supernaturalium.

Verum quia habitus Logicæ partiales habent eundem finem intrinsecum generice talem, qui est verbum mentis rectum, rectè dicitur una unitate aggregationis. Quod si omnes illi particulares habitus, in unam collectionem sumantur, dici poterunt Logica habitualis totalis, generata à Logica actuali totali: quam ex hucusque dictis sic definiunt aliqui:

*Scientia practica, directiva verbi mentis ad rectitudinem à regulis intentam.* Alii: *Scientiam directivam modorum sciendi.* Alii brevissimè: *Artem rectè cogitandi.*

## *De Distinctionibus.*

**A**Nequam nunc progrediamur ulterius, aliqua de Distinctionibus necessariò præmittenda sunt. Nominales volunt, omnem Distinctionem esse realem, aliam in-, aliam extrinsecam: intrinseca eadem est, quam nos realem vocamus; extrinsecam volunt esse rem ut resipientem diversa connotata realia. Sed cùm res eadem diversis conceptibus aliter & aliter possit repræsentari, præterea Conc. Florent. doceat, relationes Divinas ab essentia Dei distingui solà ratione; item Aristoteles tradat, actionem & passionem esse eundem motum, solùmque distingui ratione; cur distinctio rationis rejiciatur? Res non distinguitur per hoc, quòd ametur, videatur, moveatur; quia per hoc non sit alia & alia intentionaliter; neque per conceptus sit una intrinsecè; quia unitas intrinseca est proprietas rei metaphysica. Sed edicant, cur, si res per connotata extrinseca possit distingui extrinsecè, cur, inquam, id fieri non possit per cognitiones repræsentantes eandem rem in ordine ad diversa connotata. Cùm igitur distingui per rationem, sit rem aliter & aliter cognosci vel repræsentari; & forma, dans denominationem, sit alia & alia cognitio; hæc erit distinctio rationis formaliter accepta. Est quidem duplex cognitio, sub concepitu representationis præcisè, tantum existentia intentionalis; at sub conceptu alterius & alterius representationis est di-

**D**istinctio rationis: sicut existentia physica v.g. Petri secundum se præcisè spectata, non est illius distinctio realis à Paulo; est tamen sub conceptu exigentiae, quâ exigit negationem identitatis cum alio. A distinctione autem reali ad distinctionem rationis argumentari noli, cùm illa sit essentialis rei & intrinseca, hæc extrinseca & contingens. Duplex interim ille conceptus non facit distinctionem rationis efficienter & transitivè, sed formaliter & intransitivè. Sunt distinctio realis sui, non objecti: adeoque prædicata realiter identificata distinguuntur quidem distinctione reali alienâ, at non propriâ. Omnis distinctio realis est inter plura, secus distinctio rationis, aut ad summum est inter plura ratione distincta, non quidem præsuppositivè, sed formaliter & exercitè per ipsas cognitiones: quæ extremis distinctis concretivè acceptis sunt intrinsecæ, extrinsecæ acceptis specificativè.

Sufficere tamen potest unus idemque conceptus æquivalenter duplex; qualis conceptus est *animal rationale*; quia per ejusmodi conceptum habetur diversa apparentia rei. Debet autem explicitè esse diversa repræsentatio: unde dum accipis *Petrum* vel *hominem*, non facis distinctionem rationis. Ubi adverte ex P. Ulloa D. 1. Log. c. 6. §. 2. distinctionem rationis vocari solere distinctionem ex parte actûs, non quod intercedere debeant duo actus physice distincti; sed ideo, quod tota distinctio rationis consistat in diversimoda repræsentatione rei, quæ habetur per unum etiam actum intellectus æquivalenter duplum; quo casu non habetur quidem ex parte actûs distinctio physica, habetur autem distinctio logica.

Ex his inferimus, quod, sicut distinctum ratione est aliter & aliter esse cognitum, ita distinctio rationis sit alia & alia ejusdem rei cognitio. Ut ergo forma denominans cognitum est cognitio sola, sic forma denominans aliter &

aliter

aliter cognitum est sola cognitio; ad quam male requiriſt extrema, aut identitatem extremorum, cum se teneant tantum ex parte ſubjecti: ſicut enim cognoscibilitas, viſibilitas objecti, quamvis neceſſariò requirantur, non ta- men conſtituunt formam denominantem cognitum, viſum: ita hic. Imposſibile quidem eſt, dari diſtinctio- nem rei realiter ejusdem, niſi detur identitas; neque illa ſublatā duplex conceptus faciet actu diſtingui: at hoc tam parum probat, identitatem ſe tenere ex parte formæ de- nominantis, quam paries ſe teneat ex parte formæ de- nominantis parietem actu album.

Non fit hæc diſtinctio per præcioneſt objectivam Tho- miſtarum [fieret autem, ſi ex parte ejusdem realiter objecti intellectus per conceptum inadæquatum attingeret unum gradum v.g. animal, nullatenus cognito altero v.g. ratio- nali, nec explicite, nec implicite, nec clare nec confuſe] ſic enim de uno eodēmque objecto affirmarentur duo con- tradictoria, utpote eadem res cognosceretur & non co- gnosceretur, quod hoc ſyllogiſmo oſtenditur: *Hoc ra- tionale ex parte objecti non cognosceretur: atqui hoc ratio- nale ex parte objecti eſt hoc animal: ergo hoc animal ex parte objecti non cognosceretur.* Dicendum igitur, quod, dum cognoscitur animal v.g. Petri, cognoscatur etiam ra- tionale, ceteraque prædicata illi realiter identificata, quod iterum hic ſyllogiſmus evincit: *Hoc animal cogno- ſcitur cognitione A.: ſed hoc rationale eſt hoc animal: ergo hoc rationale cognoscitur cognitione A.* Paucis rem totam ſic accipe: cognoscit ſintellectus totum objectum ſemper non ſemper dignoscit; totum cernit, non ſemper diſcernit; cognoscit directum, non ſemper indirectum. Dumi motu in longè conſpicis, totum objectum vides, non tamen totaliter, ſive in ordine ad omnes ejus effectus; actiones; & ideo intellectus non cognoscit id omni clari- tate,

rati, quā cognosci potest; conspicis operationes rationales, non rationales: non affirmas esse rationale, ~~an~~ ideo non cognoscis: plus ad affirmandum, quām cognoscendum requiritur: si animal dicas, totum objectum refers tantum ad sensationes, non ratiocinationes; aliud & aliud ex parte objecti cum Comptono non quāras. Quare ad conceptus distinctos inadæquatos nulla in objecto directo sequitur distinctio, inadæquatio. Sed unde hæc inadæquatio? unum idēque principium variorum elicivum effectuum, in ordine ad quos diversimodè cognoscibile est, est fundamentum distinctionis intentionalis: causa proxima efficiens est limitata virtus humana intellectiva: & concursus harum specierum ex hoc sono, hoc incessu haustarum, & ab intellectu agente abstractarum quæ in his circumstantiis non sufficiunt ad objectum cognitum omni claritate discernendum: ex his tribus principiis diversimodè concurrentibus & applicatis gradus fit ad quoslibet alios claritatis gradus, qui tantò erunt clariores, quantò à pluribus; tantò minus clari, quantò à paucioribus idem realiter objectum discernent: ex quibus intelligitur, quomodo sine præcisione objectiva possit haberi ratio universalis, generis, differentiæ, speciei: si enim idem objectum v.g. hominem ex speciebus, quas habes, discernis tantum ab omni eo, quod non est animal, habebis genus; si discernis ab omni eo, quod non est rationale, habebis differentiam: utrumque per unum conceptum coniunge, & habebis definitionem, seu compositionem metaphysicam: quam in objecto non quāras, sed in solo intellectu. Dum diceris cognoscere formaliter clare, per species proprias animal in homine, sensus est, quod habeas cognitionem, vi cuius possis dicere, quod objectum sit animal, non autem, quod sit rationale: quo sensu si accipis, denominative, confusè, per species

ies alienas cognosci rationale, verum dicas; si autem ve-  
lis, nullo modo formaliter, clarè, per species proprias  
rationale cognosci, non audieris à nobis; quia cognoscit-  
ur eà claritate, quâ cognoscitur animal, & sub qua ho-  
mo denominatur animal; licet non illâ, sub quâ homo  
denominatur rationalis. Nec propterea actus præscindens  
est comprehensivus; quamvis enim repræsentet totum ob-  
jectum, non tamen repræsentat illud omni modo, quo  
potest repræsentari. Conceptui formalí correspondet  
quidem conceptus objectivus, quia objectum correspon-  
det cognitioni; at non præcisioni formalí præcisio objec-  
tiva: quia nomine præcisionis objectivæ non intelligitur  
objectum præcisionis, sed ipse actus præscindens objectivæ  
quem dari negamus.

Aliam præcisionem commenti sunt alii, dulcorare co-  
nantes præcisionem objectivam adjectâ voce: *intentiona-*  
*liter*: quia volunt, rem præter esse physicum accipere  
aliud esse intentionale in intellectu; quod si accipiatur *as*  
*quod*, nihil est aliud, quam ipsa res substans cognitioni;  
*ut quo* est ipsa cognitio, dans exercitè suo objecto novum  
esse intentionale, non aliquid addendo ipsi rei, sed ali-  
iquid ab ipsa intentionaliter tollendo: quod *esse intentiona-*  
*le*, quamvis realiter sit distinctum à cognitione, est rea-  
litter tamen idem cum esse physico rei, & ab illo formaliter  
tantum distinctum.

Volunt ergo hi, posse intellectum agentem fabricare  
speciem impressam tantum virtualiter repræsentantem  
animal; sed cum nullum detur tantum animal, quo-  
ties intellectus habet species animalis, etiam habet species  
rationalis, vel irrationalis; ne in eundem scopulum con-  
tradictionis cum Thomistis impingatur.

Ceterùm cum nullum nos *esse intentionale* à cognitione  
distinctum agnoscamus; edicant, quid per suum *esse inten-*  
*sionale*

tionale intelligent? si dicant , esse extrinsecum v. g. homini physicè accepto ; secùs significationi hujus vocis : *animal* , quæ instituta est , ut significet rem prout substantem tali conceptui. Sed edic , quid est illud extrinsecum ; quod vis cognosci ut *quod*. reponis , quid est , quod vides , dum te vides in speculo ? dum vides baculum rectum in aquâ curvum ? Resp. video me ipsum , non physicè existentem in speculo ; quia speculum reflectit species à me emissas ad meum oculum , quæ mei repræsentativæ cum oculo visionem eliciunt , mei in alio loco apparentis , quām in quo sum : dein video rectum baculum , quod curvus appareat , faciunt species refractæ , quæ tales in alio loco baculum , & quodvis objectum ob medium diversæ rationis interjectum apparere faciunt : hæc autem apparentia ipsi visioni identifica ta est . Dic idem de eodem objecto aliter & aliter intellectui apparente , & nobiscum senties , aut ad castra Thomistarum relegaberis . Fatemur , significationem hujus vocis *animal* , esse rem prout substantem tali conceptui : sed quid hoc est aliud præter entitatem hominis & cognitionem ? Dicis , si esset tota entitas hominis , ergo Angelus inspiciens illam cognitionem , videbit illud animal esse rationale . Resp. videbit tantum cognosci animal , quod est rationale , non autem videbit cognosci , ut est rationale . Propterea tamen cognitione dicens *animal rationale* nihil plus attingit ex parte objecti directi ; sed tantum indirecti . Major autem illa claritas est identificata ipsi cognitioni , orta ex causis supra adductis .

Aliam adhuc Scotistæ distinctionem adstruunt in eam scilicet inter strictè realem & rationis : vocant *formalem* , quia intercedit inter formalites ( per quas intelligunt , genus rei , differentiam , proprietates , & ceteros gradus Metaphysicos ) ex naturâ rei appellant , quia datur , ut volunt ,

volunt, in ipsis rebus ante conceptus nostros. Hæc distinctio ab omnibus propè Philosophis, exceptis Scotistis, tanquam implicatoria rejicitur: quia sequitur, animal & rationale in homine distingui strictè realiter: si enim oppositio privativa, contraria & relativa inducat distinctionem realem, cur non idem præstet oppositio contradictoria, quæ est omnium maxima? Accedit, quod sicut hæc propositio: *animal sentit*, requirit ad sui veritatem identitatem actualem physicam, sic negativa requirit negationem identitatis, verificativum enim negativæ debet esse oppositum contradictoriæ affirmativæ: ut patet in his: *Petrus currit*, *Petrus non currit*. Nec obstat, quod currere, & non currere sint prædicata realia; nam rō non æquè negat prædicatum formale, quam reale. Sed dices, in prioribus non esse idem formaliter objectum. Negatur suppositum, quod *animal & rationale dentur à parte rei*. Atque hoc est, quod maximè improbamus, quod scilicet confundant statum rerum physicum cum statu rerum intentionalí, eaque rebus à parte rei tribuant, quæ eis tantum convenient, prout substant conceptibus. *Nomina*, inquit S. Th. I. p. q. 13. a. 9. ad 2., *non sequuntur modum essendi, qui est in rebus; sed modum essendi, secundum quod in cognitione nostra est*. Unde *animal impositum est homini*, in quantum substati conceptui, quo communicat cum brutis, cuius conceptus fundamentum præbent sensations hominis; & sic procedendum in ceteris. Uade sequitur, semper negandum suppositum, quotiescumque Scotistæ his nominibus utuntur, *animal*, *rationale*, *animalitatem &c.* dari à parte rei, vel negandas omnes negativas v.g. *rationale non sentit*, per *rationale homo non est similis bruto &c.* Accipe sensum realem, & veritas asservabit: *entitas, quæ est rationalis, non sentit*; quod falso

falsum est. Hinc iterum si *animal præcisè* definis, habes tantum definitionem inadæquatam hominis ex parte actus: quia definis hominem tantum in ordine ad sensationes; si definis animal, prout est à parte rei, definis necessariò totum hominem. Sequitur iterum, quod animal hominis sumptum in statu reali sit simile & dissimile equo, & eodem modo rationale; non quidem similitudine & dissimilitudine summâ, sed imperfectâ, quæ consistunt simul. His omnibus accedit, quod distinctio illa Scotistica invehat in res creatas summam arduitatem mysterii Ss. Trinitatis.

Atque ex eodem capite rejicienda est distinctio virtualis intrinseca in creatis, si per eam intelligatur capacitas intrinseca ejusdem realiter rei ad suscipienda ante omnem intellectum prædicata contradictionia propter fæcunditatem, quâ rebus realiter distinctis æquivaler: si enim intelligatur fundamentum præcisionis formalis, à nobis admitti, ex dictis colligitur. Adde, quod si animali & rationali vi distinctionis virtualis ante intellectum conveniant prædicata contradictionia, ergo rationali debet convenire, quod nullo modo sentiat; de cetero *sentire*, & *non sentire* non forent contradictionia; quia inter illa non daretur maxima oppositio: sequela non admittitur; quia juxta Adversarios rationale etiam realiter sentit, cùm sit realiter illud animal, quod sentit: ergo nec admittendum, unde sequitur. *Nec dicas*, rejectâ distinctione virtuali, eandem contritionem esse odium Dei, & amorem peccati: nam licet tota ratio odii ad Deum, & tota ratio amoris terminetur ad peccatum; quia tamen idem ille actus in Deum tendit modo prosecutivo, in peccatum aversativo, manet amor Dei & odium peccati. Dum obiectum terminat cognitionem, cognoscitur: quia eo ipso representatur, quod est cognosci: sed terminat rationem odii

odii , non est odio haberi , sed est ita terminare , ut ille actus feratur modo aversativo . Hanc circa distinctiones jam explicatas regulam pro coronide universaliter tene : quidquid in sensu reali verè affirmatur vel negatur de uno prædicato , verè affirmatur vel negatur de altero reali- ter identificato .

## *De Apprehensione.*

### *De Universalibus in genere.*

**A**D primam mentis operationem simplicem , qua- tenus hæc à Logicâ consideratur , præcipue pertinet universale : hoc est unum aptum inesse , & prædicari de multis . Illud Metaphysicum appellatur , hoc Logicum , nostro modo concipiendi profluens ex aptitudine inessendi . Ex quo colliges , *universale esse concretum , in recto dicens multa , in obliquo unitatem , seu universalitatem :* hæc haberi potest vel effi- cienter , vel formaliter .

Unitas illa efficienter habetur ab intellectu ; unde intellectus est causa efficiens universalis formaliter talis . Ità Aristoteles , inquiens , *universale aut nihil est , aut posterius operatione intellectus .* Et ratio est , quia intellectus naturam spoliat suis differentiis individualibus , repræsentando plura confusè sine ullâ discretione , aut in ordine ad effectum aliquem omnibus communem : quo sit , ut pluribus inesse possit , & de illis univocè , divisi- sim , & cum reali vel possibili sui multiplicatione prædicari .

Efficientiam autem hanc intellectui patienti , non agenti tribuimus . Per intellectum agentem intelligimus , qui

fabricat sibi speciem impressam intelligibilem ; per patientem illum, qui hanc speciem in se recipit , & cum ea producit speciem expressam , vel cognitionem. Cùm igitur sola cognitio sit formalis repræsentatio multorum per modum unius ; species autem impressa sit tantum virtualis imago objecti ; patet veritas asserti. Atque de hac specie intellige D. Thomam , dum ait , *speciem esse unitatem universalis.*

Hæc cognitione est causa formalis universalis , sive forma denominans universale. Ità D. Th. , secundum quem *universale est unum in cognitione , & cognitione facit universale esse in actu universale , & est quoddam formale in universali.* Audiendi itaque non sunt Thomistæ , qui cognitionem volunt esse causam efficientem in universali , denominari autem naturam formaliter universalem à relatione quâdam rationis intrinsecâ. Nec juvat illos , quòd D. Th. opusc. 55. scribat , naturam *effici* universalem per cognitionem intellectus ; cùm enim ibi assignet duplex esse universalis , unum materiale , alterum formale , quod dicit esse cognitionem , malè certè pro esse formaliter assignaret causam efficientem. Cognitio efficit universale , sicut albedo facit album : utì ergo ex cognitione & objecto resultat cognitum , ità ex cognitione repræsentante multa & ipsis multis resultat universale intransitivè , quæ cognitione licet sit singularis in essendo , est tamen universalis in repræsentando. Cognitio præsupponit universale fundamentaliter sumptum , similemque unitatem , quæ per hoc datur in ipsis rebus , quòd in iis reperiatur quædam similitudo & convenientia prædicatorum : unitas formaliter accepta exercitè & formaliter constituitur per ipsam cognitionem ; unde frustra cum Thomistis ex parte objecti obtrudis unitatem aliquam formalem & intrinsecam , quæ sit objectum cognitionis universalificantis.

Volunt

Volunt hi AA., unitatem extrinsecam, quæ habet à cognitione, insufficien tem esse ad hoc, ut objectum ipsum revera multiplex dicatur unum; idéoque volunt, in ipso objecto fingi ab intellectu unitatem aliquam, quasi multa ista verè essent unum, idque cum fundamento in re propter summam convenientiam, quam ista multa habent inter se. Sed ad quid illa fictio? cùm secluso orni figmento habeatur unitas extrinseca multorum, quæ sola necessaria & sufficiens est, ut multis adveniens universale ultimò compleat. Actus, quo fit universale, repræsentat quidem naturam sive differentias positivè, non exprimendo clarè differentias; non autem negativè, signatè eas separando à naturâ. Item si cognitio signatè repræsentaret multa ut unum, jam fingeret in objecto aliquid, quod non est: at verò, cùm repræsentat multa sic, ut præscindat ab eo, aë sint verè multa, an non, nihil fингит; quia præscindentium non est mendacium. Qui facit universale, non cognoscit naturam antecedenter abstractam ab individuis; non enim cognoscit naturam à parte rei abstractam ab individuis, sed exercitè eam à singularitatibus abstrahit: ut autem signatè cognoscatur natura à singularitatibus abstracta, adhibenda est cognitio reflexa. Audi S. Th. opusc. 49. Sic loquentem: intellectus absque falsitate abstrahit genus, in quantum considerat naturam generis: atqui, si fingeret, non abstraheret sive falsitate: ergo.

Sed his necdum contenti Thomistæ, ad universale Logicum præterea requirunt actum reflexum, quo intellectus super naturam, jam priùs à singularitate præcisam, sese reflectat, eamque concipiendo ut unam positivè communem multis comparet ad inferiora ut aptam prædicari de illis. Dixi, Logicum; quia sunt, qui

cum Suar. & Valsq. ad universale Metaphysicum ejusmodi actus non requirunt. Nos ad neutrum necessarios arbitramur. Quia actus absolutus præcisivus sufficit ; cum per illum natura fiat exercitè una extrinsecè ; hæc actu inest multis per veram identitatem : ergo certè apta est inesse multis ; ergo etiam apta prædicari. Quod cognitionem reflexam attinet , per hanc non sit primò universale , sed universale factum cognoscitur , & confertur cum suis inferioribus. Unde aliud longè est , per cognitionem reflexam fieri universale , aliud per illam cognosci universale jam factum , quod ultimum vult Aristoteles , dum ait : *universale non cognosci , nisi per inductionem , qua est comparatio , & qua , nisi intercurrat , non scietur , quale universale factum sit.* Idem judicium esto de authoritate D. Th. , quem vehementer sibi favent arbitrantur Thomistæ. Aut pro diversitate textuum vel explicatur de actu comparativo præcedente ipsum universale , vel de consideratione ordinis , qui habetur inter naturam & inferiora , exercitâ. A primo igitur ad ultimum natura universalis per cognitionem abstractivam absolutam respicit sua inferiora exercitè & transcendentaliiter , quia exercitè fit superior ; non signatè & prædicamentaliiter , quod ad universale Logicum remotè prædicabile , vel proximè quoad se non requiritur. Non tamen propterea negamus , universale fieri posse per actum comparativum ; id enim contingere fatemur in his v. g. actibus : *Animal est genus. Aliqua species est homo.*

Enucleatus nunc explicandum significatum materiale universalis : quod statui non possit natura objectivè , aut intentionaliter objectivè præcisa , colligitur ex dictis. Præscindentes formaliter in modo loquendi discrepant : divisio in materiale remotum & proximum ( ubi per remotum intelliguntur individua à parte rei existentia , per proximè

proximum natura præcisa , sive natura in communione  
 videtur sapere statum quendam intentionalem ipsius naturæ ab ipsâ cognitione contradistinctum. Dein sic arguo : natura communis exercitè intransitivè fit , & intrinsecè constituitur per ipsam cognitionem : si non : ergo datur natura communis contradistincta à cognitione : atqui non à parte rei : ergo in intellectu : ergo præter cognitionem & objectum datur aliquid tertium , scilicet status intentionalis. Melius ergo loquuntur illi , qui statuunt pro significato materiali & proximo universalis ipsa inferiora : quia significatum materiale censetur esse illud , quod à parte rei est multiplex , & fit unum extrinsecè : quod inferioribus totum convenit. Non tamen ideo , dum dico v. g. *homo* repræsentantur clarè omnia individua sub nomine individuorum , sed sub nomine hominis tantum , sub quo prædicato ita repræsentantur , ut neque pluralitas , neque diversitas apparet , nihilque vi illius cognitionis possis discernere , quod non inveniatur in singulis individuis. Quæ ratio communis exercitè constituitur per ipsam cognitionem & individua : cognitio inest multis *ut quo* ; individua sunt apta inesse , vel insunt actu multis *ut quod* , non quidem singula multis , sed singula singulis. Naturæ igitur à parte rei existentes sunt intrinsecè plures : hæ sunt aptæ inesse multis , non collectivè , quasi omnes simul collectivè possent esse in hoc individuo , & omnes simul in illo ; sed distributivè , ita ut hæc possit esse in hoc individuo , illa in isto : fiunt autem & extrinsecè dicuntur unum , quia per cognitionem ita concipiuntur , ut pluralitas non appareat. Sicut igitur significatum materiale concreti v. c. albi est id , cui adveniens albedo v. g. dat denominationem albi : sic in hoc concreto Logico , universale , rectè statuitur pro significato

materiali illud , cui per advenientem cognitionem universalificantem tribuitur effectus formalis unitatis extrinsecæ.

Ex quibus colliges , solam cognitionem esse formam denominantem , ità ut non constituatur partialiter ex ipsis multis , sive unitatem rationis sumas pro formâ , per quam objectum præcisè non appetit multa ; sive pro formâ , per quam natura multis verè communis ità repræsentatur , ut multa verè possibilia clare non repræsententur. Ad quid enim confundere formam cum subiecto denominato ? cùm sola cognitio sit forma determinans multa ad esse actu universale , cùm alias ex se ad hoc sint indifferentia. Sublatâ possibilitate multorum tollis quidem consecutivè aptitudinem inesse multis , possibiliter enim cognitio universalificans in objecto præsupponit , & essentialiter respicit , aut tollis totum concretum , scilicet *unum aptum inesse multis*. Sed an propterea formam constituit ? Aptitudo hæc ab Adversariis male reponitur in eo , quod ratio repræsentata per cognitionem sit verè identificata cum multis , nisi aptitudinem fundamentalem intelligent ; sola enim cognitione universalificans est aptitudo proxima & formalis ; habitâ enim cognitione repræsentante multa sine differentiis positivè , id est , non exprimente clare differentias , intellectus est expeditus ad prædicandam naturam de multis ,

Explicitâ sic natura universalis , facile perspicimus , universale Aristotelicum à parte rei & independenter ab intellectu adæquatè dari non posse. Dico , *Aristotelicum* , propter eos , qui in ovo depicto universale quoddam à parte rei reperire se autumant , quibus suum universale ovale vel picturale relinquimus , utpote solum Aristotelicum recipientes , quod est *unum in cognitione*.

Ex

Ex quo sequitur, nec universale Platonicum, nec Fon-  
fecanum, nec Scotisticum admittendum esse. Nam  
imprimis ideae Platonicæ, sive naturæ communes æter-  
næ, immobiles, ingenerabiles, incorruptibiles à parte  
rei existentes, à quibus singularia suam participant essen-  
tiam, non dantur, ut fide certum, ac deinde quidquid  
existit à parte rei, singulare est. Imò si darentur, ta-  
men non possent esse universale, quod est unum aptum  
inessere multis per veram identitatem. Quomodo autem  
idea v.g. hominis identificabitur Petro, cùm realiter ab  
illo distinguatur? Res sunt immobiles, æternæ quoad  
connexionem prædicatorum essentialium, non quoad  
existentiam. Individua sunt talia per participationem,  
non identitatis cum naturâ communi, sed originis.

Deinde potes quidem considerare naturam v.g. hu-  
manam ut purè possibilem, & ut actu existentem; at  
non habebis pro statu possibilitatis universalem. Vel  
enim illa est extra singularia, vel in singularibus: si  
extia; habemus ideam Platonicam: si in singularibus;  
non est una. Item cùm natura possibilis & actu exi-  
stens sint realiter eadem; si hæc non est universalis,  
quomodo illa talis erit? Unde falsum est, naturam in  
statu possibilitatis esse physicè priorem singularibus, aut  
physicè indifferentem; sed tantum prior est Logicè, &  
indifferens Metaphysicè; quia non concipitur necessariò  
esse vel Petrus, vel Paulus &c. Ex quo sequitur, quòd  
sicut in statu existentiæ, sic etiam in statu possibilitatis  
sit universalis per intellectum.

Qui cum Scotistis naturam à parte rei formaliter di-  
stinctam volunt à singularitatibus, & in se unam posi-  
tivè, ità ut possit positivè inesse multis, & quæ nunc  
contrahitur in Petro per perteitatem, potuisset contrahi  
in Paulo per pauleitatem; videntur invehere in res creatas

arduitatem mysterii SS. Trinitatis. Qui cum aliis , quibus accedit Cajetanus , contenti sunt communitate quâdam & unitate negativâ , itâ ut natura distincta formaliter ex naturâ rei à singularitatibus non sit singularis , neque positivè multiplex , utpote ex se non dicens ullam distinctionem Petri à Paulo , & quantum est de se non repugnans esse in multis , incident in scyllam , dum volunt vitare charybdin ; cùm enim hæc unitas negativa non conveniat differentiæ individuali ; neque conveniet naturæ cum illâ identificatæ . Verbo , nihil à parte rei potest competere alicui formalitati , quod non competit alteri realiter identificatæ . Ante intellectum igitur non eadem , sed realiter distincta natura est in Petro & Paulo : qui dum definiuntur per *animal rationale* , non definiuntur definitione adæquatâ , sed inadæquatâ tantum ; si adæquatâ , omnes singularitates exprimendæ sunt , quæ quidem formaliter sunt extra naturam , at non realiter . Speciem formalem logicam ante omnem operationem intellectus non repieres , sed fundamentalem tantum : unde licet Petrus v. g. cum Paulo ante intellectum non sit magis unus formaliter , quam cum equo ; est tamen magis unus fundamentaliter . At recures cum Poncio ad unitatem quandam convenientiæ : sed nec sic universale habebis , cùm dicat formaliter clarè pluralitatem , quis enim intelliget convenientiam , nisi intelligatur id , quod est simile , & cui est simile . Ceterum non negamus , naturam per ejusdem convenientiam esse fundamentaliter unam : formaliter unam reddit cognitio depurans eam à singularitatibus .

Etiam hanc unitatem retinere potest in actuali prædicatione de subiecto singulari . Quod antequam probetur , notandum , quod præter suppositionem personalem admittenda sit suppositio absoluta , indefinita , confusa vel

vel præcisiva ; èò quod absolvatur & præscindat à quatuor supradictis speciebus , ità Haunold. qui p. 1. Log. practicæ c. 1. a. 1. §. 1. citat Fonsecam , Cassilium , Oviedum , plurimósque , ut ait , RR. , suppositionem dividentes in simplicem , absolutam , & personalem ; ipse autem suppositionem absolutam reducit ad personalem . Atque in tali suppositione juxta nos est terminus : *homo* , in hac propositione ; *Petrus est homo* . Qui licet æquivalenter & ex parte objecti supponat disjunctivè ; non tamen ex parte modi tendendi . Ubi simul hoc notamus , quod supponat exercitè simpliciter , & signatè personaliter : & licet divisio suppositionis in exercitè & signatè simplicem , in exercitè & signatè personalem , fors latuerit veteres Dialecticos sub his nominibus , non latuit tamen quoad rem : sic veteres Summulistæ apud Petrum Hispanum de suppositione dicunt , in hâc propositione , *homo est animal* , & *animal* supponere simpliciter : utique non signatè , ergo exercitè . Imò Adversarii nostri , qui admittunt , in hâc propositione : *animal est vivens* , & *vivens* retinere universalitatem , exercitè eandem nobiscum divisionem admittunt ; hoc notato , sic pergo :

Si simpliciter & *homo* apprehendere possum , quin multiplicitas vel singularitas clarè reluceat : quidnî possim prædicare de Petro ? cùm enim verè Petrus sit homo , propositio præcisè dicens : *Petrus est homo* , præscindendo , an sit hic , an aliquis , an omnis , non potest non objecto suo conformari . Sed Petrus , aïs , non est homo sic præcisè acceptus , vel non est homo communis , specificus : nec enim talem esse , propositio signatè adstruit , sed merè & præcisissimè dicit esse hominem , non dicendo , qualis sit ; præscindentium autem non est mendacium . Dein si in hoc actu : *Petrus est aliquis homo* , eadem res clarè & determinatè cognoscitur

scitur ex parte subjecti, & simul confusè & indeterminatè ex parte prædicati: ecce non possit etiam in hoc actu, *Petrus est homo*. Si in primâ subjectum non singularizet prædicatum; cur id faciat in secundâ? Aliud est, si dicas, *Petrus est hic homo*, vel apprehendas, *hic homo*; sic enim *τὸς homo* cum particulâ demonstrativâ coalescit in unum terminum: quod autem alia ex parte subjecti, alia ex parte prædicati possit esse repræsentatio, quis neget, licet etiam actus judicii sit unus indi-  
 visibilis actus. Haunoldus sic pergit: Dicat DEUS Petro: *hac res est homo*, jam sanè debebit credere, quod verba significant, Petrum esse vel hunc, vel aliquem, vel omnem hominem: ergo. Quod autem *τὸς homo* non significet hominem petrinum, videtur li-  
 quere, ex eo, tūm quia sic propositio, si Petrus per impossibile esset homo sīnē omni singularitate, vel esset Paulus, propositio foret falsa; tūm quia vi formæ se-  
 queretur: *Petrus est homo*, ergo non est *Paulus*, tūm quia verum esset, *solus Petrus est homo*; tūm denique hæc: *Petrus non est homo*, non foret illi contradic-  
 toria, quia plūs negaret, quām requiritur, quæ repu-  
 gnant principiis Dialecticis: igitur & id, ex quo hæc  
 absurdā sequuntur. Dum Dialectica vult, prædicatum  
 in solâ propositione negativâ sumi universaliter, non  
 in affirmativâ, nisi addatur signum aliquod universale,  
 intelligendum est, *universaliter distributivè*; ipsi enim Adver-  
 sarii fatentur, in affirmativâ v.g. hæc, *animal est vivens*, sumi  
 prædicatum universaliter & indefinite. In conversione non  
 debet mutari suppositio una signatè talis in aliam signatè  
 talem: cùm igitur in hac propositione: *Petrus est homo*,  
 prædicatum sit in suppositione personali signata tali, manet  
 in eādem in convertente. Sed quomodo possunt omnes ho-  
 mines prædicari de Petro? R. non distributivè, neque  
 colle-

collectivè, sed indefinitè, cum quibus etiam sic accéptis  
identificatur: cùm enim Petrus sit unus homo, & plures  
dentur in natura humana Petro similes, intellectui præ-  
betur fundamentum, ut omnes homines indefinitè de  
Petro prædicentur per actum hujus tendentiae: *Petrus est  
homo*, non quidem signatè, sed exercitè. Non move-  
tur interea intellectus ad ejusmodi prædicationem ab  
identitate adæquata, neque inadæquata cognita ut tali, sed  
ab identitate exercitè præcisivè accepta.

## *De Universalibus in specie.*

**U**niversalè ut sic dividitur in genus, speciem, diffe-  
rentiam, proprium & accidens. Quia tot sunt  
modi prædicandi specie logicâ distincti; vel enim natura  
communis prædicatur de multis vel essentialier vel extra-  
essentialiter: si essentialiter, vel ergo prædicatur *in quid  
completè*, seu ut tota essentia, & erit species. Vel ut pars  
essentialis, & jam vel prædicatur *in quid incompletè*, seu  
pars essentialis determinabilis, & habebitur genus? vel  
*in quale quid*, seu ut pars formaliter determinans, & erit  
differentia. Si prædicetur extra-essentialiter, vel prædi-  
catur necessariò, & est proprium; vel merè contingenter,  
& est accidens. Modi essendi physicè diversi non indu-  
cunt modos essendi logicè diversos: cùm solas prædica-  
tiones explicatas Logica consideret, ad quas facilè reduces  
omnes alias, si cum his conferas. Quod genus superius  
& subalternum prædicetur de genere differentibus, & in-  
fimum de specie tantum differentibus, in consideratione  
logica diversam prædicationem non inducit; quia singula  
prædicantur *in quid incompletè*. Omnia universalia pos-  
sunt esse species accidentaliter, & reflexè, non autem es-  
sentialiter & directè.

*Genus* est unum aptum prædicari de multis *in quid incomplete*, sive ut pars essentialis determinabilis essentiae metaphysicæ. Dum Aristoteles ait, *genus & differentiam prædicari in quid*, id quid accipit pro prædicato essentiali, sive prædicetur substantivè, ut pars determinabilis, sive adjective, ut pars determinans. Dicitur autem genus pars determinabilis per similitudinem ad materiam phyllicam, quæ ideo dicitur determinabilis, quod sit indifferens ad plura composita cum diversis formis constituenda. Ubi observa, datam definitionem convenire tantum generi essentialiter accepto, id est, naturæ genericæ cum sua cognitione genereizante ( quod & in definitionibus aliatum specierum observandum ) unde genus ut sic abstractum ab aliis particularibus generibus est tantum signatè genus, exercitè autem est species; quia sic prædicatur *in quid complete*. Atque ex his sequitur, genus non posse salvare in unica specie possibili; nullum enim est universale, nisi ratione plurium. Audiat Aristoteles l. 4. topic. c. 3. sic loquens: *quoniam omnis generis plures species, inspiciendum, si non contingit alteram speciem esse generis; nam si non, est manifestum, quoniam non erit genus omnino.* Simili modo loquitur D. Th. l. 1. poster. lect. 12. non est possibile, invenire aliquod genus, cuius una tantum sit species; genus enim dividitur *in species per differentias oppositas*. Si omnia animalia præter hominem forent impossibilia, maneret quidem tota essentia physica hominis, non autem metaphysica saltem quoad modum concipiendi; quia animal non posset concipi tanquam aliquid pluribus conveniens, cum non pateret latius, quam homo. In ejusmodi casu Oviedo hominem definiendum putat: *vivens sensitivo-rationale*. Giattinus: *vivens sensitivum*. Sed quid opus rumpere caput investigando, quænam forent definitiones

rerum

rerum, si in silvis hircocervi, & in pratis thimætæ saltant?

*Species* est unum aptum prædicari de multis *in quid completere*, id est, per modum totius essentiae de differentibus solo numero: An necessariò debeat esse terminus incomplexus, an possit esse complexus, quæstio est de nomine. Genus habet quidem propriam suam essentiam; hæc tamen non prædicatur de inferioribus specie differentibus, sed tantum prædicatur de iis ut pars, licet prædictetur de hoc & illo genere ut tota essentia; sed hæc ratio abstracta ab omnibus generibus non est genus exercitè, sed signatè tantum, exercitè autem est species. Essentia logica & universalis hîc distinguenda est à singulari; respectu hujus species est pars determinabilis, non respectu illius. *Speciem prædicabilem* definitam esse satís intelligis, Sed quid de subjicibili? an & hæc universale? Si directe ut subjicibilis accipiatur, universale esse non potest; quia ut talis non requirit multa, quibus inesse, & de quibus possit prædicari, sed tantum genus, cui subsit. Si speciei ut subjicibilis respectum ad inferiora detorques, ex eâ universale facis: sed tum non conceptum essentiale, sed reflexum & accidentalem invehis.

De specie prædicibili magis controvertitur: Aristoteles & D. Th. realem multiplicabilitatem individuorum requirunt. Ille l. 1. periherm. leet. 10. *Dico autem universale, quod de pluribus natum est prædicari.* Hic in 10 dist. 19. q. 4. a. 2. negat Essentiam Divinam esse universale, cuius rationem dat, *quia est una numero in tribus Personis.* Quid? si genus requirit multiplicabilitatem spicerum, cur species prædicabilis absolvit possit à multiplicabilitate individuorum? Universale secundum rem & rationem simul, quod actu inest multis; & universale secundum rationem tantum, quod, licet actu non inest multis

multis, potest tamen inesse, ab utroque agnoscitur; sed sic habes plura inferiora saltem possibilia: at aliud universale secundum rationem tantum, quod nec habet plura inferiora actu existentia, nec possibilia, in illorum scriptis quis reperiet; enim verò D. Th. pro exemplo adducit solem, & domum octangulam. Aristoteles 7. Metaph. textu 53, ait, solem alterum debere esse possibilem, ad hoc ut ratio solis sit communis & universalis. Unde multiplicabilitas conditionata non sufficit; universale enim non est, *quod esset aptum*, sed *quod est aptum*. Quidquid afferunt Thomistæ pro speciei immultiplicabilis universalitate, applicari potest generi in una specie, item Naturæ Divinæ immultiplicabili: quæ quod actus purus sit, nihil juvat Thomistæ; nunquam enim eò recurrit D. Th., immo si plures actus puri essent possibiles, nunquid illorum respectu esset universalis? Unde si implicet natura Angelica numero multiplicabilis, natura Michaëlis nullo modo potest esse universalis *positivè*: si concipi possit à sua singularitate præcisa concipiatur indifferens *negativè tamum*. Dum Goudin p. 1. Logicæ Majoris q. 2. a. 6. §. 1. paritatem desumit ab Omnipotenti Dei, quæ actu est infinita, quamvis non possit producere effectus actu infinitos si eam vult tringere, admittat necesse est, quod, sicut Omnipotentia manet infinita secundum rem, etiam natura Michaëlis sit universale secundum rem.

Differentia, prout est tertium universale, est unum *aptum* inesse, vel prædicari de multis *in quale quid*, sive *in quid adjectivè*, sive per modum partis essentialis formalis determinantis. Quod totum referendum est ad nostros conceptus; cum à parte rei nulla detur contratio, subjectio, constitutio &c. Differentia, si sit *infima*, est universale respectu individuorum completorum; ut *ratiionale* respectu Petri, Pauli &c. respectu specierum, si

*sit subalterna*, ut *sensitivum respectu hominis & bruti*;  
quia sic est aliquid latius patens.

Differentiae dicuntur membra dividentia, per quae fit divisio, ut *rationale* & *irrationale*: de his quaeritur, an formaliter includant differentiam superiorem, aut genus, quod dividunt. Dico, *formaliter*, *objectivè* & *realiter* includere, nulla sub Judice lis est. Præscindimus rationale à sensitivo & animali: sed quomodo præscindes, si differentia inferior sit formaliter superior vel genus? Rationale concipis principium in ordine ad ratiocinationes, non ad sensationes; aliter & aliter eandem rem concipere, est aliam & aliam rei formam inducere. Evolve conceptum rugibilis, quo Leonem distinguis ab omni eo, quod non est rugibile: quid plus animalitati addit, quod prius non continebat animal? Si nihil: cur definimus Leonem per animal rugibile, & non per animal solum? Si addit: illud, quod rugibile addit animali, non includit animal: atqui hoc, quod addit, dicit, ut differentia est: ergo. Item si differentia includit formaliter genus, differentia non differet à specie; ideo enim species est totum, quia imbibit genus & differentiam: ergo cum differentia ex tuis principiis imbibat genus & differentiam, quid verabit illam speciem dicere? Differentia juxta Aristotelem. Metaph. est tota rei essentia hoc sensu, quod differentia ultimò compleat rei essentiam determinando formaliter logicè genus ad hanc speciem. Aliud est, differentiam inferiorem completere spectatam involvere superiorem, item incompletè spectatam connotare illam: aliud incompletè spectatam illam involvere in recto; contrarium enim evincit ratio posita. Nec tamen exinde duplarem ex parte objecti rectum astruimus, sed tantum duplarem extrinsecè distinctum, scilicet rem cognitam ut correspondentem huic voci, *rationale* non esse rem cognitam simul ut correspondentem huic voci: *animal*. Quo modo si evolvas  
emnes

omnes propositiones h̄ic formari solitas, facile te expedit.

*Proprium*, ut est quartum universale, est unum aptum inesse & prædicari de multis, *in quale necessariò*, sive accidentaliter quidem, sed tamen necessariò: *accidentaliter*, quia est extra essentiam: *necessariò*, quia fundatur in prædicato essentiali, tanquam in aliquo nostrâ ratione priori. Aliud est *genericum* v. g. *appetitivum*, quod prædicatur de pluribus specie differentibus; aliud *specificum*, ut *rūsile*, quod de pluribus numero differentibus. Habet rationem universalis respectu individuorum completorum, rationem proprii respectu speciei: nam respectu individuorum est quid superius, & individuis tantum convenit respectu speciei; per quod differt ab accidente. Solum proprium quarto modo, sive quod omni, soli, & semper convenit, h̄ic definiiri, discimus ex Aristotele, l. i. topic. c. 5. inquiens: *proprium est, quod declarat quidditatem, & soli inest, & cum eo reciprocatur*: quod soli proprio quarto modo convenit, non quidem in abstracto, sed in concreto. *Accidens*, prout est quintum prædicabile, est unus aptum inesse & prædicari de multis specie vel numero differentibus, *in quale merè contingenter*, sive tanquam non necessariò coniunctum cum subjecto, intellige iterum in abstracto. Etiam est aptum inesse essentialiter, si rō *essentialiter* cadat suprà rō *aptum*, secùs si suprà rō *inesse*; nam accidens est aptum essentialiter inesse multis accidentaliter. Unde semper est prædicatio accidentalis, si prædicatum merè contingenter afficiat subjectum, sive sit accidens physicum, sive substantia, sive negatio &c.

Respectu harum quinque specierum universale est univocum & verum genus: ratio enim per rō *universale*

*versale* significata in omnibus est eadem ; deinde singula, de quibus prædicatur , specie Logicâ inter se diffèrent , adéoque prædicatur de iis in quid incompletè. Quæ contra hanc assertionem obmoventur , intricatissima sunt , & vix ullius utilitatis , unde & multi judicant hanc controversiam ex Logicâ proscribendam esse : certum nihil tamen intricatum est , quod solvi non possit , si sequens ordo abstractionum observetur. *Primi* cognosco animalia specie differentia sub unâ ratione communâ , dicendo v. g. *animal* , & sic facio genus. *Secundi* ab omnibus particularibus generibus abstraho rationem communem , dicendo *genus ut sic* : idem esto de aliis quatuor speciebus judicium. *Tertiù* *genus ut sic* ita abstractum est universale respectu generis A B C ( idem est de specie *ut sic* &c. ) adéoque à genere *ut sic* , specie *ut sic* &c. iterum abstrahit ratio universalis , dicendo *universale ut sic*. Schema sequens habe :

## U N I V E R S A L E

|                |                 |                     |                  |                  |
|----------------|-----------------|---------------------|------------------|------------------|
| <i>Genus.</i>  | <i>Species.</i> | <i>Differentia.</i> | <i>Proprium.</i> | <i>Accidens.</i> |
| <i>Animal.</i> | <i>Homo.</i>    | <i>Rationale.</i>   | <i>Risibile.</i> | <i>Doctus.</i>   |

Quocunque particulare universale sumi potest dupliciter. *Accidentaliter* , *specificativè* , & *primò intentionaliter* , quando sumitur pro significato materiali , sive pro illâ naturâ , quæ exercitè substat cognitioni universalificanti : *essentialiter* , *secundò intentionaliter* & *concretivè* , quando sumitur pro naturâ , quæ substat cognitioni , & simul pro cognitione in obliquo importatâ. Isdem modis sumi potest *genus ut sic* : Primo modo accipitur , si accipientur omnia genera secundum se v. g. hoc genus animal , hoc genus planta &c. singula quidem cum suâ cognitione genereizante directâ , sed tamen sine reflexâ , per quam omnia illa genera con-

fundantur ; & hoc modo singulis generibus essentialis est , esse genus ; omnia autem confundi per cognitionem reflexam , illis est accidentale ; quod dum sit , habetur exercitè species ( licet signatè dicatur esse genus) cuius significatum materiale sunt omnia genera essentialiter talia : & hoc modo genus ut sic sumitur *concreтивè* , *essentialiter* , & in suppositione simplici. Idem notandum de hoc conceptu : *universale ut sic* , qui si sumatur pro significato materiali , id est , pro omnibus universalibus v.g. pro hoc genere animal , pro hac specie homo &c. sumitur primo modo ; quia illis accidentale est , quod sumuntur per ejusmodi cognitionem reflexam. Si sumatur simul cum cognitione illâ reflexâ , accipitur secundo modo , & sic exercitè sit aliquid particulare genus , cuius materiale sunt omnia universalia essentialiter talia , formale cognitione dicens *universale ut sic* , quæ est generizans ; quia illa quinque universalia differunt specie Logicâ. Eodem modo de totâ secundâ lineâ abstractionum loquendum est &c. Ex quibus intelligis , quomodo universale sit genus generis , superius & inferius genere ut sic , immo superius se ipso , item quomodo sit pars generis , & simul totum genus , in ordine scilicet ad diversas abstractiones , aut prout primò , vel secundò intentionaliter sumitur. P. Ulloa facile omnibus se expedit , dicens : genus generalissimum , universalissimum , & supremum nulli alteri generi subesse.

## *De Signis.*

**S**ignum propriè tale ex S. Aug. est illud , quod præter sui cognitionem , quam ingerit sensibus , aliquid aliud facit

*facit in cognitionem venire.* Celebrior illius divisio est in signum naturale & ad placitum. Illud vim suam significativam sibi adæquatè identificatam habet, utpote per se ipsum connexum cum re significatâ. Hujus vis significativa in actu primo proximo est volitio instituentis declarata, acceptata, & moraliter perseverans: his enim habitis habent signa suam significandi virtutem, & aliquo illorum non habito illam non habent. Neque propterea volitio instituentis se ipsam habebit pro objecto: duplex enim volitio distinguenda est, altera, quæ institutionem antecedit, per quam institutor signatè vult significationem in actu primo; altera, per quam eam vult exercitè, ponendo scilicet volitionem tanquam causam formalem, quæ pro objecto directè volito habet ipsam significationem in actu secundo, quæ est ipsa audiendum vel videntium intellectio excitata à tali signo. Hæc autem volitio licet physicè præterierit; manet tamen moraliter in aestimatione hominum & in ordine ad suum effectum, quamdiu ab ipso instituente, aut ab alio patem autoritatem habente, aut per usum contrarium non revocatur: ex quibus intelligitur, quomodo, licet volitio præterita secundùm se tolli non possit, possit tamen tolli vis significativa. Hanc quoque volitionem vel explicitè vel implicitè cognoscit is, qui vel directè vel reflexè, clare vel obscurè cognoscit signum & vim significativam.

Inter signa ad placitum numerantur voces articulatæ hominum, quæ tam conceptus, quam res significant. Quod conceptus significent, habemus ex S. August. ita loquente: *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet.* Res significant, cùm enim, ut ait Aristoteles, res ipsas adducere non possimus, voces pro illis substituimus, vocibusque utimur pro rebus. Quod autem

autem sint signa ad placitum , vel ex eo liquet , quia nulla reperitur naturalis connexio , cur potius hanc determinatè rem significant : ex quo pariter sequitur , nullam eas habere naturalem connexionem cum hoc determinato conceptu . Sermo ex Aristotele est homini naturalis quoad principium , non quoad determinatam significacionem . Conceptus loquentis determinatus tantum interfert , suppositâ significacione vocum .

Significant autem voces ex institutione hominum res immediatè , conceptus mediatè tantum . Quia dum audio loquentem , immediatè & priùs venio in cognitionem rei significatæ , ex quo tūm arguo , loquentem habere conceptum de re , quam loquens communiter vult primariò significare , ut liquet in instruente hereticum . Poterit tamen loquens audientem adhuc decipere ; licet enim conceptus ille , quo loquens rem significataim apprehendit , infallibiliter ab audiente cognoscatur ; non tamen alter , quo decipiens judicat , rem aliter se habere , quam verba enuntiant . Accedit , quod res significetur , mediante conceptu tantum ut quo , quod etiam fit in his vocibus , *genus* , *species* &c . si intelligis conceptum reflexum , quem habes , dum illa concreta Logica per vocem signatè exprimitis : cui non obstar , quod directa illa cognitio , per quam exercitè in ratione concretorum Logicorum constituuntur , immediatè & directè per vocem significetur .

Cùm voces per te , ac directè ad Logicæ considerationem non pertineant , earum examen Dialecticis relinquisimus .

## *De Judicio.*

Judicium , sive propositio mentalis est simplex , & indivisibilis actus intellectus ferens sententiam de identitate

titate, vel connexione objectivâ prædicati cum subjecto. Unde compositionem physicam ex pluribus apprehensionibus in actu judicij non agnoscimus: cum enim possit haberi & conceptus subjecti, & prædicati alius, & alius identitatis vel connexionis objectivæ, quin habeatur unio intentionalis, habens se per modum annutus vel abnutus, ex his tribus conceptibus nunquam nasceretur judicium, nisi superaddas enuntiationem affirmativam aut negativam unius de alio, qui est modus tendendi soli judicio essentialis, actusque omnino indivisibilis, qui, si humanus est, ideo compositorius dicitur, quia res ante seorsim apprehensas conjungit, & identitatem vel connexionem inter illas affirmat: unde judicium humanum est magis compositum, quam divinum, objectivè, non formaliter; Angelicum verò plerumque non præsupponit apprehensiones, & multò clarius est humano.

Dicitur *propositio resoluti in subjectum, & prædicatum* Metaphysicè tanquam in partes formales, virtualiter & æquivalenter tales; quia æquivaleret duabus apprehensionibus, quarum una repræsentet subjectum, altera prædicatum. Propositio vocalis componitur ex pluribus vocibus: in compositis physicis, licet partes seorsim sumptæ non sint totum, sunt tamen simul sumptæ: ad propositionem enim vocalem non requiritur specialis modus tendendi; sed sufficit, quod per voces exprimantur subjectum, prædicatum & copula objectiva: in compositis physicis partibus simul sumptis convenit ratio totius, scilicet omni modo tendendi: at cum judicium habeat modum tendendi essentialiter diversum ab apprehensionibus, ex iis coalescere non potest. De Propositionibus hypotheticis idem esto judicium; sunt enim actus indivisibiles repræsentantes plures propositiones

objectivas, quæ per duos distinctos actus possent repræsentari. Annutum autem illum aut abnutum, in quibus essentiam judicij statuimus, noli cum de Benedictis cæcos dicere; cum enim judicium contineatur sub hoc genere, *cognitio*, essentialiter est repræsentatio: potest quidem voluntas objectum prosequi sive novâ cognitione, modò sit præviè repræsentatum; non tamen intellectus judicare de objecto præviè apprehenso, nisi de novo cognoscat. Cujus disparitatis ratio est hæc, quia voluntas est potentia cæca, non verò intellectus, & voluntio non est cognitio, sicut judicium.

Triplex judicio assignatur objectum, materiale, formale, & verificativum. Materiale seu terminativum judicij tam affirmantis, quam negantis directum & immediatum est vel sola identitas prædicati cum subjecto, vel connexio unius cum altero, vel identitas & aliqua connexio simul. Objectum enim materiale est hoc, quod directè affirmatur vel negatur; hoc autem est identitas vel connexio &c. non enim nudè affirmantur ipsa extrema, cum aliud sit dicere hominem & animal, hominem & brutum, quam hominem esse animal, esse brutum. Neque in negativo affirmatur directè negatio identitatis; sic enim nulla daretur propositio negativa, neque contradictoria affirmativæ ob mutatum objectum: unde particula *non* tantum indicat modum tendendi per abnutum, sive nutum mentis in identitatem renuendo tendentem, nec aliud dicentem ex parte objecti materialis, quam in affirmativâ. Dum propositio dicitur affirmatio & negatio alicuius de aliquo, implicitè fit mentio identitatis; hoc ipso enim, quod prædicatum affirmetur vel negetur non nudè secundùm se, sed de subjecto, affirmatur vel negatur identitas inter utrumque: quod unio physica, tendat tantum in duo extrema, noli

noli transferre ad judicium , quod est unio intentionalis ; non enim illud quomodo cunque extrema conjungit , alias non differret ab apprehensione complexâ ; sed unit affirmando vel negando dari identitatem inter illa : hæc igitur cum immediatè in se affirmetur vel negetur , pro objecto materiali statuenda est ; sicut enim hoc , quod voluntas prosequitur , vel refugit , est objectum materiale voluntatis , ita hoc , in quod intellectus tendit annuendo vel renuendo , est objectum illius materiale , hoc autem est identitas indistincta à subjecto & prædicato : non tamen propterea subjectum & prædicatum affirmantur vel negantur de subjecto & prædicato , nisi sub ratione identitatis , quo sensu si ridiculas putent Adversarii propositiones nostras , ridendæ pariter sunt omnes eorum propositiones affirmativæ , in quibus prædicatum realiter est idem cum subjecto . Quando propositiones sunt in materiâ impossibili , pro objecto materiali statuenda est identitas exercitè ficta & signata vera : adeoque affirmativam falso , & negativam veram habebis . Illa , quæ intentionaliter componuntur , vel dividuntur , sunt objecta partialia & de se affirmata ; non objectum totale , & in se affirmatum .

Jam verò sicut voluntas non potest prosequi rem , nisi ipsi proponatur sub ratione boni ; sic intellectus non potest assentiri rei , nisi proponatur sub ratione veri : unde in omni judicio debet dari aliquod motivum , ratione cuius intellectus vel affirmet vel neget prædicatum de subjecto : hoc motivum est identitas , vel connexionis objectiva , saltem apprehensa inter subjectum & prædicatum , si intellectus affirmet ; contra negatio identitatis vel connexionis saltem apparentis intercedere inter extrema . Dico , *apparens* ; quia intellectus non semper movetur ab identitate verâ , vel ejus negatione ; alias

nullum daretur judicium falsum. *Ratio autem est*; quia intellectus positis ejusmodi apprehensionibus est suffi- cienter determinatus ad negandum vel affirmandum: ut patet in paritate desumptâ à voluntate. Apprehensiones autem illæ non constituunt simul objectum formale motivum; sed sunt tantum applicatio motivi. Negatio identitatis, item identitas exercitè facta; licet non moveant physicè, movent tamen intentionaliter & per species alienas. *Nec inferas*, in hâc sententiâ omnem propositionem negativam fore simul affirmativam, nam propositionem esse affirmativam desumitur ex modo ten- dendi directè in materiale, non autem ex modo indirectè tendendi in formale.

Ex his *sequitur primò*, similitudinem effectuum & ac- cidentium, quæ est inter subjectum & prædicatum, ad summum dici posse objectum formale remotum, & ap- plicans proximum. *Sequitur secundò*, ipsos terminos rite apprehensos non esse objectum formale motivum; nam quomodocunque apprehensi non magis determinabunt ad assensum, quam diuersum, nisi appareat aliqua ratio at- trahens, quæ est identitas. *Sequitur tertio*, propositiones contradictorias non habere idem objectum formale; nam quod movet ad affirmandum, non potest movere ad ne- gandum: habere autem idem materiale, quod in propo- sitionibus in materia necessaria est identitas vera; in ma- teria impossibili exercitè facta.

Porro quod veritatem vel falsitatem judiciorum attinet: verum erit judicium affirmativum, si identitas illa, vel connexio verè detur, qualis esse affirmatur: negativum verum erit, si suo modo detur negatio talis identitatis, qualem identitatem negat. Ex quibus falsificativum utriusque judicij facilè colliges.

Veritas formalis & physica est conformitas actus enun- ciantis cum objecto sic se habente. *Non propterea*, in-

quit Aristoteles, quod nos te verè albus esse putamus, tu  
albus es; sed propterea, quod tu albus es, nos, qui dici-  
mus, verum dicimus. Quæ conformitas quia tam actum  
enunciantem, quam sic se habentiam objecti includit,  
hinc, sicut alterutro solo deficiente, perit illa conformi-  
tas, sic & ipsa actus veritas. Quod quidem de veritate  
formali omnium actuum pariformiter intelligendum erit,  
id est, tam de formaliter veritate eorum actuum, qui con-  
tingenter veri sunt, quam aliorum actuum, qui necessari-  
tate veri dicuntur, ut sunt v.g. actus Fidei Divinæ: nam  
licet hi actus per se exigant objectum sic se habere, sicut  
idem illud se habere enunciant, adeoque radicalis veritas  
illis sit essentialis; si solis tamen objecto sic se habenti non  
conformantur ita, ut, si manentibus solis actibus pone-  
res per impossibile sic se non habere objectum, eo ipso  
actus illi nec objecto conformes, nec formaliter veri es-  
sent. Nec propterea erunt formaliter contingenter veri;  
tunc enim tantum actus est contingenter verus quando  
est verus ita, ut idem actus possit esse falsus, actus autem  
Fidei Divinæ, aliisque supernaturales, cum causentur ab  
habitu supernaturali, qui non potest concurrere ad actus  
falsos (ut ex Theologia supponimus) nunquam falsi esse  
possunt: quod alii actus necessariò sint veri v.g. homo est  
animal, est ratione objecti immutabilis, non ratione sui.  
Actus per seipsum assimilatur objecto in ratione repræsen-  
tationis, non conformitatis. Veritas non est repræsentatio  
objecti præcisè, sed talis repræsentatio, quale objec-  
tum est: actu, quo dico, Petrus est doctus, est essentialis,  
repræsentare Petrum esse doctum, quod autem re ipsa  
doctus sit, est accidentale actu, adeoque & veritas.  
Requiritur ergo semper ad constituendam veritatem for-  
malem sic se habentia objecti: sed NB. pro tempore per  
copulam importato, & prout natura denominationis exi-

git, jam physicè existens, jam logicè tantum & denominative. Nec absurdum puta. ex dictis sequi, falsitatem & negationem veritatis, posse esse partes veritatis: id enim fieri necesse est, quando actus reflexus verus & falsitati & negationi veritatis conformatur: unde respectu ejusdem actus directi veritas & falsitas sibi tantum oppnuntur. Ex his inferes primò actum formaliter verum esse concretum, dicens in recto actum, in obliquo eundem actum, & objectum sic se habens, ut actus enunciat. Secundò divisionem actus in verum & falsum, esse subjecti in accidentia; licet actus verus & falsus quā tales specie differant.

Unum judicium non potest altero esse verius: cum enim veritas, ut inquit D. Th. q. 2. de verit. a. 9. consistat in adæquatione intellectus & rei, sic consideretur veritas secundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis & minus, sic non contingat esse aliquid magis aut minus. Ex quo intelligis, veritatem consistere in conformitate totali & omnimodâ, quali conformitate cum non possit dari major, non poterit quoque unum judicium verum esse verius alio quoconque, quod simpliciter verum est. Potest tamen unum esse altero falsius, ad falsitatem enim sufficit aliqua disformitas cum objecto: atqui potest objecto esse magis conforme: ergo potest etiam esse magis falsum. Hæc autem intellige de objecto divisibili; si enim objectum sit indivisibile, jam non est, unde possit desumi major disformitas. Si triginta sint in scholâ, jam judicium dicens, viginti sunt in scholâ, non est conformius objecto, quām dicens: decem sunt in scholâ; quia neutrum simpliciter est conforme; ergo unum non est conformius altero.

Fainosior quæstio est, an judicium temel verum possit fieri falsum v.g. an hoc judicium: Petrus currit nunc, prola-

prolatum in instanti A verum, & continuatum ( ita  
 supponere oportet ) per plura instantia, idem instanti B  
 sit falsum, in quo ponitur, non dari cursum Petri.  
 Negativa cum Ov. Compt. Att. Hurt. & aliis præpla-  
 cet: vel enim significabit, Petrum currere hoc deter-  
 minato instanti, vel instanti aliquo indeterminato, vel  
 omni. Si *primum*, jam semper erit verum, quia sem-  
 per enunciabit cursum pro instanti A, & non pro in-  
 instanti B & sequentibus; si enim repræsentaret instans  
 B pro secundo instanti, mutaretur objectum formaliter  
 cognitum, quod eidem propositioni nullatenus convenire  
 potest. Si *secundum*, etiam semper erit verum; quia  
 manebit verum, quod Petrus currat aliquo tempore.  
 Si *tertium*, semper erit falsum; si enim uno instanti  
 Petrus non currat, falsum simpliciter est, quod currat  
 omni. *At inquis*: judicium ejusmodi tantum repræ-  
 sentat tempus præcisivè, adeoque, si Petrus instanti B  
 non currat, tantum mutabitur objectum verificativum &  
 denominativè cognitum; uti hoc judicium: *animal in*  
*foco currit*, idem manet, licet primò instanti verificetur  
 per animal, quod est equus, & secundo instanti per ca-  
 nem &c. Bene: si repræsentet tempus præcisivè, vel er-  
 go specificum, vel genericum? *Si primum*, non potest  
 transire de vero in falso, aquè parùm, ac dum repræ-  
 sentat hoc tempus præsens determinatum & individualiter  
 sumptum: quia sic ratio communis temporis præsentis  
 erit abstracta à solo instanti A, & omnibus durationibus  
 illo instanti possibilibus; cui, manente eodem judicio,  
 non potest succedere ratio temporis præsentis abstracta ab  
 instanti B., & omnibus durationibus pro illo instanti pos-  
 sibilibus; sic enim habebit objectum aliud formaliter co-  
 gnitum. *Si secundum*, semper erit verum: quia sic suf-  
 ficiet, quod cursus Petri pro aliquo instanti sub hac ratio-  
 ne

ne genericā repräsentato existat: nam tunc vi dicti judicij cursus Petri non magis refertur ad instans, quod est præsens, quam quod fuit, aut erit præsens: sicut hoc judicium: *Petrus est animal*, verum est, sive Petrus sit hoc animal, sive illud animal. sive etiam per impossibile omne animal, quia ratio genericā animalis sic abstracta verè est identificata Petro. Ex quibus patet responsio ad hoc judicium: *animal in foro currit*, quia sub ratione genericā animalis continetur tam equus, quam canis. è contra sub ratione specificā temporis præsentis abstracta ab instanti A, & omnibus durationibus loco illius possibilibus, non continetur instans B. Sume rò *animal*, prout volueris, & pro diversa acceptione diversam accipies respondionem, & eam quidem, quam ratio nostra designat.

Paucis rem expedio: quodlibet judicium semper determinate repräsentat instans nativitatis suæ; unde significat semper tempus præsens, quo primùm eliciebatur, non illud, quod illi est præsens, dum sequentibus instantibus continuatur; quia sic mutaret objectum formaliter cognitum: non tamen propterea continuatum sequentibus instantibus, erit de præterito; hujusmodi enim Judicium est quod primò elicitur, cùm objectum ejus antecessit tempore. Manebit etiam hoc, *Petrus non currit nunc*, illi contradictorium, si repräsentet idem tempus; secùs, si diversum. Dum Aristoteles ait: *si vera est oratio, sedere aliquem, cum is surrexit, hæc ipsa oratio falsa erit*, quorum similia habet D. Th.:) aut intelligendum de propositione vocali, aut si de mentali, non de physicè, sed moraliter eadem. Veritas est propositioni contingentis accidentalis; non quod semel vera possit fieri falsa; sed quod eo instanti, quo proferebatur, potuisse esse falsa, quia objectum potuisse se aliter habere. quam ipsa enunciabat.

Diffi-

Dissidium alterum superest defuturo contingente singulari, an scilicet è contradictoriis altera sit determinatè vera, altera falsa; aut, si una proferatur, debeat dici determinatè vera, aut determinatè falsa. Loquimur autem de futuro absoluto, non de conditionato; quod Théologis relinquimus. Quâ in controversiâ duplîcum cum D. Th. futuritionem admittimus, *causalem* alteram, alteram *formalem*: per causalem intelligimus inclinationem & dispositionem cause ad producendum effectum; per formalem negationem existentiae rei prouerba, & existentiam pro postea, undecunque demum, & à quacunque causa illa existentia proveniat. Audiatur ipse S. Doctor 1. p. q. 86. a. 4. in O inquit, quod futura duplicitate possint cognosci, *in se* & *in causis*: sic Medicus dicit: ille sanabitur, & iste morietur, & si aliter contingat, non falsum dixit; sic enim tunc futurum erat in ordine causarum, quod tamen possibile est impediri. Q. 12. de Prophetia: & tunc, quod priù futurum erat (causaliter) consequenter non erit (formaliter) q. 14. de verit. a. 10. ad 7. aliquid potest dici esse futurum, non solum ex hoc, quod ita erit, sed quia ita est ordinatum in causis, quod sic sit futurum. 2.2. *Divina Præscientia* respicit futura secundum duo, scilicet secundum quod sunt *in seipsis*, & secundum quod sunt *in suis causis*, *in quantum* scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Quid clarius? ubi S. Th. rerum futuritionem 1. p. q. 16. a. 7. ad 3. adscribit dispositioni causa sempiternæ, quod est Decretum Divinum, loquitur de futuritione causalit. An propterea negat formalem? At dicant advertarii, per quid res dicatur formaliter præterita: *nunquid per negationem rei nunc*, & existentiam illius antea? cur ergo rejiciunt futuritionem formalem? Res, inquiunt, præterita aliquando habuit determinationem. R. futura habebit: sicut ergo determinatio, quæ jam non est, sed fuit, potest

test verificate propositionem de præterito; sic determinatio, quæ jam non est, sed erit, propositionem de futuro. Ex quo pariter intelligitur, falli adversarios, dum volunt, copulam *est* semper importare præsentem determinationem: verificativum enim propositionis tantum requiritur pro tempore per copulam importato. Licet igitur de facto vera sit hæc propositio: *Antichristus est futurus*, & ab æterno vera fuerit; non tamen exigit verificativum ab æterno, aut modò physicè existens; sufficit quod existat logicè, & denominativè, quia denominatio futuri est denominatio logica: cuius forma & rem & ejus negationem involvere potest, non quidem pro eodem, sed diverso tempore.

Hoc itaque complexum *ex existentia rei pro nunc*, & *eius existentia pro postea*, est futuritio formalis & verificativum propositionis de futuro. Non potest hoc complexum haberi sine Decreto, item posito Decreto Dei res est futura; quid tum? mea existentia pro nunc non potest haberi sine Decreto, & posito Decreto habebitur: an propterea Decretum est pars formæ denominantis me existere? Fundamentum nostrum accipe: ex hoc propositio de præsenti est vera vel falsa, quod res est, vel non est; & quia res vel determinatè est, vel determinatè non est, propositio vel est determinatè vera, vel determinatè falsa, & quidem præciso Decreto Dei, etiamsi res nulla sit sine Decreto: ergo etiam propositio de futuro est vera, vel falsa, quia res erit, vel non erit; & quia erit, vel non erit determinatè, jam est, aut non est determinatè vera, etiam præscindendo à Decreto Dei. *Dices*: dici non potest, quare res sit futura, nisi dicatur, quia Deus determinavit. De futuritione causali, C. formali, N. Formaliter enim est futura per hoc, quod non sit jam, & est futura postea. Sed jam dic nobis etiam, quare res sit præterita? *Nec inferas*

feras, futuritionem formalem hoc modo convenire rebus à vel ex se ipsis, & ex natura rei, adeoque non contingenter sed necessariò futuris: levem enim aequivocationem affers. Distinguere oportet hæc duo: *Rem esse à se ipsis*, & *à se ipsis, sive per se ipsam habere*, quod sit *forma denominans*: fatemur, quod omnis res creata sit actu dependenter à causa, & etiam, dum futura est, sit futura dependenter à causa: sed aliud est, *rem esse à causâ*, aliud, *causam esse formam denominantem rem actu existere, vel futuram*. Sic aliud est, esse causam albedinis in pariete; aliud, esse rationem formalem, à qua paries denominatur formaliter albus.

Hoc idem fundamentum evincit, ex duabus propositionibus contradictoriis singularibus de futuro contingente unam esse determinatè veram, alteram falsam, sine omni Decreto Dei, tanquam intrinseco veritatis constitutivo. Vel enim peccatum v.g. cras erit, vel non erit: Si *primum*, propositio dicens: *Petrus peccabit*, est vera, utpote conformis objecto: & negativa falsa, utpote difformis. Si *secundum*, contrarium habebis. Neque arbitris, nos hâc viâ determinatam veritatem, aut falsitatem propositionis ex vi contradictionis defumere: ex ea enim tantum probamus, peccatum Petri vel determinatè tantum esse cras, vel determinate tantum non esse cras: ex quo sequitur, dictam propositionem hodie esse vel determinatè veram, vel determinatè falsam, prout supposueris: si autem nihil supponere velis, expecta in crastinum, & intelliges, an propositio tua hodie fuerit vera, vel falsa. Hoc unum constanter ob oculos habendum, quod, ut propositio de futuro sit determinatè vera, non requiratur rei, de qua est propositio determinatio pro tempore, in quo, sed tantum, pro quo profertur propositio, & in quo etiam supponitur esse Decretum. Verum est, quod esse-

effectus non possit esse determinatus in se ipso pro præsenti, & in ordine ad verificandam propositionem de præsenti, nisi priùs sit determinatus in aliqua causa ; potest autem esse determinatus in se ipso pro futuro, & in ordine ad verificandam propositionem de objecto futuro, licet priùs non sit determinatus in causa nunc existente, quæ tamen causa tunc existet, quando existet effectus, constituētque illius determinationem causalem, non formalem.

Ex quibus omnibus denique concludes, negandum semper suppositum, dum hæc & similia proferuntur : *res ante Decretum, sine Decreto non est determinatè futura,* ejusmodi enim propositiones videntur innuere prioritatem physicam, & modum exclusionis negativum : quod nimirū docemus, ut colligitur ex dictis. Ceterum licet nos non possimus determinare, quānam ex contradictoriis sit vera, manet tamen alterutra vera *quoad se.*

Hæc autem determinata propositionis veritas, neque Dei Præscientia obest libertati humanæ. Non enim ideo, quia est determinata veritas hujus v.g. propositionis : *Anti-Christus peccabit, & Deus præscit, peccatum futurum,* fiet peccatum : sed *quia peccabit*, determinata est veritas, & ideo Deus præscit : sicut non, quia speculum ostendit, est in facie nævus, sed quia est in facie macula, illam ostendit speculum innocens. Hinc S. Aug. ait : *Sicut memoria tuâ non cogis facta esse, quæ præterierunt : sic Deus præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ sunt futura.* Si doceat quandoque cum aliis PP., *res fieri, quia Deus nōrit.* item, *Scientiam Det esse causam rerum*, vel intendit ex Præscientia tanquam à posteriori bene inferri rem futuram, vel loquitur de scientia simplicis intelligentie. Sed hic manum de tabula ; hoc unum tanquam probabilius ex Theologia supponimus, Scientiam Visionis in recto dicere cognitionem Deo identificatam, & in obliquo

rem

rem v.g. peccatum Anti-Christi futurum. Ex quo facile ostendimus, quomodo Anti-Christus Scientiam Dei possit impedire impediendo obliquum; item quomodo Scientia sit prior tempore, non verò naturâ & causalitate, quâm ipse actus liber. Falsificare tamen illam non potest: falsificare enim supponit, esse præscientiam de peccato: Anti-Christus non peccando faceret ut extitisset præscientia Dei de negatione peccati, & non præscientia de ipso peccato. Itaque licet stante præscientiâ de peccato detur simultas potentiae ad peccatum & non peccatum, non tamen datur potentia simultatis, id est, potentia conjungendi peccatum cum non peccato, vel non peccatum cum præscientia de peccato.

Omnis, quæ hic comitur necessitas, consequens solum est, qualis est necessitas v.g. sedendi, quam infert ipse actus sedentis: determinativum enim veritatis est ipsum objectum, quod erit, determinatum ex hypothesi certæ futuritionis.

## *De Discursu.*

**D**iscursus, vel potius syllogismus ex Aristotele est oratio; in qua quibusdam (præmissis) positis aliud quid (conclusio) ab iis, quæ posita sunt, necesse est sequi, eo quod hæc sint, id est, quod præmissæ sint aut supponantur veræ. Totum artefactum Logicæ discursivæ, si finis illius intrinsecus spectetur, est tria judicia, quorum duo sunt inferentia tertium illatum: igitur sicut syllogismum totaliter acceptum constituunt præmissæ & conclusio, sic & totum artefactum Logicæ discursivæ. Quod si syllogismum sumere lubet causaliter, sicut eum videtur accepisse Aristoteles, cùm diceret: *demonstratio*

nerat scientiam, sic dici potest consistere in solis præmissis, ut quæ sunt causa illatæ conclusionis scientificæ. Quod si autem discursus spectatur, ut est tertia mentis operatio, formaliter consistet in sola conclusione; quia per solum judicium illativum sufficienter distinguitur ab apprehensione & judicio, cum τὸ ergo denoret specialemodum tendendi non repertum in apprehensione & judicio. Licet homo per animam rationalem sufficienter differat à bruto, inde tamen hæc sola non est tota illius essentia physica, cum illa in recto importet omnes partes: discursus autem quæ talis solam cognitionem inferentem, seu conclusionem importat in recto, præmissis, quæ præsupponuntur, & respiciuntur, in obliquo importatis: ad quod apposited Philosophus 1. posterior. c. 1. ubi de discursu ait, quod sit *cognitionis unius per aliam, & post aliam.* Accedit: sicut judicium est actus simplex & non compositus ex apprehensionibus, eo quod judicium objectum suum speciali ratione attingat, scilicet illud per affirmationem approbando, vel reprobando per negationem, quod nulli apprehensioni convenit: Sic nunc de discursu quæ tali ob partatem rationis dicendum, quod sit actus simplex illatus quidem ex præviis judiciis, sed tamen ex illis essentialiter non constans: unde iis sublati non habetur quidem discursus defectu causæ vel cognitionis prærequisitæ non defectu partis constitutivæ. Sed, ut bene notat Arr., miscetur hic quæstio de voce.

Continent itaque præmissæ (de formalibus sermo est; quia objectivas esse causam motivam conclusionis, in aperto est) in sua virtute conclusionem, non physicè effectivâ, sed morali & extrinsecè directivâ: gratis enim & sine fundamento influxus physicus iis tribuitur, cum intellectus à præmissis directus & illuminatus sufficienter possit

possit conclusionem elicere. Tribus his formalitatibus, intellectioni, imagini, & illationi, tria principia physica qui assignat, cur non addit quartum, quintum &c. cum in conclusione etiam repertatur formalitas entis, accidentis, vitalis, spiritualis &c. Idem ergo principium physicum, scilicet intellectus, dupli huic formalitati, intellectioni & illationi, respondet, sed sub dupli pariter formalitate acceptum.

Dum Aristoteles & D. Th. ajunt, conclusionem *effici* à præmissis, intelligendi sunt de efficientia latius dicta, sive directiva; non enim illi superfluum admittere cendi sunt.

Præmissis si assensus fuerit intellectus, sive evidentes illæ sint, sive probabiles, necessitatur ad assensum conclusio-  
nis *quoad speciem actus*, id est, conclusioni dissentire non potest: cum enim objectum præmissarum & conclusio-  
nis sit idem, si assensu præstito præmissis dissentiret conclusio-  
ni, eidem objecto simul assentiret & dissentiret, quod prohibet principium lumine naturæ notum: *idem non potest simul esse, & non esse*. Quod ex duabus affir-  
mativis universalibus deduci possit conclusio vel universali-  
lis, vel particularis, directa, vel indirecta; atque ideo per-  
mittatur, intellectum ad unam determinatè non ne-  
cessitari; nil facit contra præsens dictamen; si enim velit  
facere illationem, affirmativam facere cogetur. Hæc in-  
terim adjicienda est limitatio, quod præmissæ debeant  
esse bene dispositæ, intellectus terminos & vim syllogi-  
sticam penetrare, nec retractare assensum præmissis da-  
tum: quod servit syllogismos sophisticos resumenti.

Idem judicium esto de assensu *quoad exercitum*, id est, dato præmissis assensu, non poterit non intellectus eum præbere conclusio. Quod videtur insinuare Aristoteles, dum ait, syllogismum esse, in quo quibusdam

positis aliud *necessariò* sequitur. Et ratio est , quia potentia necessaria positis omnibus ad agendum requisitis necessariò agit ; cùm ergo intellectus sit potentia necessaria , & habitis præmissis bene penetratis , & positâ apprehensione consequentiæ objectivæ habeat omnia ad inferendam conclusionem necessaria , eam *per se* necessariò elicit : idque , etiam si conclusio probabilis fuerit ; hæc enim , licet secundum se , & materialiter spectata non sit evidens , æquè tamen evidenter ex præmissis probabilibus semel admissis tanquam veris infertur , ac conclusio evidens ex præmissis evidentibus ; adeoque evidens est evidentiâ consequentiæ . Agit potentia libera , quantum libet ; necessaria , quantum licet . Omittere quidem potest intellectus conclusionem *vocalem* , quia lingua despoticè subest imperio voluntatis ; *mentalem* non potest ; non enim intellectus ita subest voluntati ; potentia locutiva cognoscitiva non est ; quæ aliunde determinari debet ; intellectus est , qui ab objecto & illius evidentiâ determinari potest . Subjacet imperio voluntatis intellectus in obscuris , & probabilibus ; non in evidenter veris ; aut certe si in his impeditur , *indirectè* fiet , & *per accidens* ; ubi ad alia fortiter distrahitur . Negant aliqui , voluntatem positâ apprehensione evidente posse cohibere intellectum , quò minus judicet de objecto : sed hoc etiam dato , nil contra nos infertur ; quia major est connexio inter conclusionem & præmissas , quam inter judicium & apprehensionem ; nam qui præbuit assensum præmissis , eo ipso virtualiter assensus est objecto conclusionis .

Si autem conclusionem ex præmissis deducis , si hæc fuit naturalis , & Syllogismus simplex , formaliter accepta , ut est deducta ex his determinatè præmissis , semper sequitur partem debiliorem præmissarum . Talis enim est connexio extremorum conclusionis formaliter acceptæ , qualis

lis est connexio eorundem extremorum cum medio ; si una autem præmissa debilis est , tota connexio cum medio simpliciter est debilis : ergo conclusio necessariè est debilis. Si conclusio materialiter spectetur , contrarium contingere potest. Exemplum accipe , quod objicit Casilius : *omne ridens est homo : atqui Petrus est ridens : ergo est homo.* Conclusio materialiter spectata est necessaria ; formaliter spectata , contingens ; quia tūm facit hunc lensum : *Petrus est homo , quia Petrus est actu ridens , & quia omne actu ridens est homo.* quæ propositio tota est contingens ; ad contingentiam enim copulativæ sufficit , si una pars sit contingens. Dixi *imò , conclusio naturalis* , ut præcindatur à quæstione theologicâ , an fides sit discursiva. Dixi *2 dō , Si Syllogismus sit simplex* ; nam in hypotheticis contrarium aliquando evenit.

Assertionis hujus confirmatio est , quod conclusio intrinsecè attingat objectum præmissarum velut motivum , propter quod assentiatur objecto suo materiali : omnis enim actus intentionalis intrinsecè tendit in suum motivum ; præmissæ autem , in quantum continent identitatem extremorum cum termino medio , si sint affirmativæ , vel si negativæ , distinctionem illorum in termino medio , sunt motivum conclusionis ; propter alterutrum enim conclusio necessariè & unicè , vel assentitur vel dissentit identitati extremorum inter se. Illudque nobis denotat *τὸ ergo* , vi cuius objectum præmissarum iterum repetitur , non quidem conditionate per particulam , *Si* ; alias vera foret hæc conclusio : *ergo Petrus est lignum* , deducta ex his præmissis : *omnis homo est lignum : Petrus est homo : sed per τὸ quia ; quia omnis homo est lignum , & Petrus est homo , ideo etiam est lignum* , ubi clare apparet , conclusionem esse falsam. Interim *τὸ quia* non sumitur necessariè strictè causaliter , cùm sepe fiat argumentatio à poste-

riori. Rectius etiam dicitur, objectum præmissarum attingi à conclusione *ut quod*, adéoque non esse puram rationem affirmandi objectum materiale conclusionis: cùm enim intellectus assentiatur objecto materiali conclusionis propter formale, quod est objectum præmissarum, eo ipso iterum approbat formale: sicuti Petrus v.g. amans medicinam propter sanitatem, amat eodem actu iterum sanitatem. Ex his autem non sequitur, medium ingredi conclusionem, *ut objectum illatum* (quod est contra Dialeticam) sed tantum *ut motivum*. Nec propterea conclusio erit totus syllogismus, aut hypothetica: ille enim totaliter acceptus includit saltem tria judicia; hæc plures explicitè copulas. Quod autem præmissæ bis ponantur in omni syllogismo, semel explicitè, semel implicitè in conclusione, necessarium est; sicut dum anno ambulationem propter sanitatem, amatur sanitas semel in se, semel in ambulatione. Unde si quis recordetur conclusionis *ut illata*, etiam recordabitur præmissarum.

Non tamen ad assensum conclusionis necessariò præquiritur judicium reflexum & signatè enuncians bonitatem Consequentie, sive formalis, sive objectivæ: exercitè enim experimur, quod bene concludamus, ipsèque actus illativus exercitè judicat, objectum conclusionis esse idem cum objecto præmissarum: ad quid ergo judicium, quo intellectus præviè signatè judicet, conclusionem eliciendam rectè deduci ex talibus præmissis, aut objectum conclusionis esse idem cum objecto præmissarum: certè si præmissæ se solis sufficiunt, ut intellectum determinent ad judicium reflexum, quod Adversarii præquirunt; cur similiter non poterunt determinare intellectum ad inferendam conclusionem, omisso illo judicio reflexo. Quod subinde ab aliquibus non eli-

elicitatur conclusio, positis præmissis, non necessariò refunditur in defectum judicij reflexi; sed vel in defectum penetrationis terminorum & efficacij syllogistice, vel apprehensionis, quâ præviè apprehendatur connexio unius veritatis cum aliâ. Ceterum non negamus, quod cognitio reflexa possit conclusionem præcedere: queritur tantum, an necessariò præcedat; & hoc negatur.

Una superest quæstio, diversis partium studiis fermenter agitari solita, an in eodem intellectu de eodem objecto materiali simul stare possint actus scientiæ, fidei & opinionis. Occasionem præbent syllogismi analyticus & topicus. Ille, sive demonstrativus, constat præmissis certis & evidenteribus, adeoque generat scientiam: hic una saltem præmissa tantum probabili; ex quâ proinde deduci nequit nisi conclusio probabilis, seu opinio. Definitur hæc, quod sit assensus præstitus propter motu intrinsecum probabile. Addunt alii, cum formidine de opposito. Hæc formido cum duplex sit, radicalis & actualis, dubium oritur, quænam ex iis sit de essentiâ opinionis. Thomistæ actualem adstruunt, nos solam radicalem illi tribuimus, cum formido actualis nequidem sit necessariò cum opinione connexa. Tum quia formido actualis est actus distinctus ab opinione, quæ tantum habetur ex eo, quod sit assensus ex motivo intrinseco fallibili; à quo assensu si præscindatur omnis actualis formido, ille actus per hoc non erit scientificus, neque fides: ergo manet opinio. Tum quia saepè contingit nos elicere actus ex motivo fallibili, quod motivum nos putamus infallibile esse; actus autem illi ex tali motivo fallibili eliciti manent probabiles, & tamen non habent adjunctam formidinem actualem. Arist. 7. Eth. c. 3. non nulli ex his, qui opinantur, non ambigunt, sed certò se scire existimant. Omnis actus scientificus est actualiter

certus; quia nititur in ipsâ infallibilitate motivi, & hanc infallibilitatem necessariò clare cognoscit: opinio autem non nititur, neque nisi potest in motivi fallibilitate; quia propter illam fallibilitatem potius retrahitur ab assensu: motivum probabile, in quantum est aliqua conexio cum vero, est sola vis motiva ad opinionem: ipsa fallibilitas si cognoscatur in motivo, moveret tantum ad judicium reflexum, quo quis actu formidet, rem forte aliter se habere; neque hoc judicium reflexum unquam haberi potest, quando actus opinativus est conjunctus cum judicio certo & scientifico.

Nihil proinde obest, quò minus in eodem intellectu circa idem objectum materiale stare simul possit scientia cum opinione, quin etiam cum fide. Quæ enim in hoc repugnantia? non ex parte intellectus, ut qui plures simul potest habere actus: non ex parte objecti materialis; hoc enim unum, idemque est: non ex parte objectorum formalium; hæc enim possunt simpliciter simul apprehendi, & cur non simul judicari? non ex parte ipsorum actuum; nam hi non habent repugnantiam, nisi ratione objectorum formalium, quæ quò minus simul consistant, nihil impedit. Certè miser Philosophus DEI existentiam habens demonstrativę perspectam, cum melioris ipso conditionis foret rusticus: hic enim à demonstratione non impeditus, poterit habere actum formalem fidei & meritum, quem Philosophus à suā demonstratione impeditus, & ad actum scientiae & fidei simul necessitatus, habere non poterit. Sed age, si voluntas feratur in unum bonum diversis actibus ex diversis motivis: cur negas intellectui virtutem tendendi in eandem veritatem ex diversis pariter motivis? Quia, *inquis*, repugnat, intellectum esse certum de eodem objecto & incertum; convictum & non convictum, firmiter eidem adhaerentem:


rentem & non firmiter adhaerentem : cùm ergo actus scientiæ sit evidens , actus fidei & opinionis sint non evidentes , hæc repugnantia impedit , quò minus sint in eodem intellectu . R. Intellectus erit tantum certus , convictus , & firmiter adhaerens ; cetera autem illi non convenient , nisi præcisivè , in quantum intellectus certitudinem non habet ab opinione , nec à fide evidentiam ; non possunt autem intellectui tūm incertitudo , tūm obscuritas positivè convenire , quia impeditur à scientiâ . Aliud est , opinionem à se , præcisè ratione sui motivi , excludere certitudinem & evidentiam ; aliud , eam excludere ab intellectu . Actus inevidens positivus non magis opponitur evidenti , quam album non albo positivè accepto , sive dulci . Voluntas quidem non eligit medium ad bonum jam possessum ; quia nova electio medii non est nova boni jam habiti possessio : at possidere objectum intellectualiter , est illi assentiri , quod per diversa media & diversos actus fieri potest .

Fides & opinio non opponuntur scientiæ privativè , ita ut negent omnem lucem , sed sunt lux aliqua intellectus , licet minor : fides quidem divina est donum DEI ac *lumen* . Sed neque lumen illud minus superfluum est , cùm plenius scientiæ intellectui affulget : cùm enim sit diversæ rationis à lumine scientiæ , simul ex imperio voluntatis poterit ab illo illuminari intellectus ; fines enim prudentes non derunt . Dum Aristoteles & D Th. videntur contrarii , loquuntur de opinione conjunctâ cum formidine actuali , ipse enim D Th. videtur exigere , ut sic eum interpretemur : nam in 3. dist. 31. q. 2. a. 1. sic habet : *dicendum* , quod *scientia & opinio* , quamvis sint de eodem ( objecto materiali ) non tamen sunt circa idem medium ( secundum idem objectum formale ) sed secundum diversa , & ideo possunt esse simul . Quid clarius ? 3. p. q. 9. a. 3. ad 2. *opinio ex syllogismo Dialectico* ( probabili ) causata est via ad scientiam ,

tiam, quæ per demonstrationem acquiritur, quā tamen acquisitā potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialepticum.

Imò nihil prohibet, quò minus idem actus ex triplici illo motivo eliciatur: sicut enim tria illa motiva possunt intellectui repræsentari, ità poterit intellectus propter omnia ista simul tali objecto materiali uno actu assentiri: cuiusmodi in propriâ voluntate experiris, dum simplicem elicis actum, plures in se continentem honestates, quæ ex diversis profluunt motivis. Cognosce sapientum suffragio, DEI oraculo, claro scientiæ lumine perspicuam esse rationalis animæ immortalitatem, cur concludere nequeas actu unico: *ergo anima rationalis est immortalis?* & ecce habebis actum, non ex diversis speciebus oppositis conflatum; sed specie distinctum à scientiâ tantum, ab opinione tantum &c. Simile habes in animâ vegetativâ tantum, sensitivâ tantum, & vegetativo-sensitivo-rationali. Quæ contradictiones afferri solent, ut plurimum complanantur per ejusdem actus æquivalenter multiplicis respectum ad diversa motiva: quæ respectu talis actus possunt dici partialia hoc sensu, quod ita influant, ut alterutro absente, non poneretur hic actus; possunt etiam dici totalia in actu primo; quia unumquodque seorsim sufficit ad producendum actum sibi convenientem. Unde cùm omnia illa motiva simul causent eundem realiter actum, veræ sunt in sensu reali propositiones hujusmodi: *fides est scientia, motivum certum causat opinionem &c.* Si vis aliquo eum actum nomine insignire, appella actu *fide opinatio-scientificum.*





J. M. J.

# METAPHYSICA

*Sive*

## *Scientia transcendens.*



Olet in Scholis Physica Metaphysicam præcedere; sed, ut videtur, ex consuetudine magis, quam ratione: ratio siquidem, & methodus scientifica postulat, ut, ducto ab universalioribus principio, ad magis particularia descendatur. Universalissimum autem est Metaphysicæ objectum, omnium aliarum scientiarum objectis superius; unde secundum aliquos Metaphysica idem est, ac scientia transcendens. Cùm vero ens reale cum suis proprietatis pro objecto habeat, non male εντολογία ab aliis appellatur. Ens igitur reale universalissimæ hujus scientiæ

tia objectum est *materiale*, ut, teste Semery, habet consensus latius universalis Philosophorum; hoc enim per se, & primariò attingit, estque indifferens, ut consideretur à pluribus scientiis: cùm verò in ente præcisè spectet rationem entis, sit, ut sic determinetur ad considerationem Metaphysicæ potius, quam alterius scientiæ; adeoque *objectum formale quod illius rectè statuitur ratio entis.*

Metaphysicam autem esse Scientiam, quis ambigat? habet enim verò conclusiones certas, & evidentes deducatas ex præmissis certis & evidentibus: per quas conclusiones cùm neque hoc objectum suum efficiat, neque ullatenus dirigit ad ejus effectiōnem, scientia *strictissimè talis*, sive *speculativa* dicenda est: quod Compt. *in proem. Disp. Metaph.* dicat, eam respectu objecti secundarii, id est, entis rationis, dici posse practicam, [ quia dum entis rationis naturam & proprietates docet, modum illud conficiendi ostendit ] parùm curatur; quia natura scientiæ ex objecto primario desumenda est. Manet igitur adæquatè speculativa, in nullo suo objecto dirigibilitatem, sed cognoscibilitatem requirens, quæ, sicut omnium scientiarum speculativarum, sic Metaphysicæ *objectum formale sub quo statuenda est*; si enim ens cognoscibile non esset, non posset illud speculari. Sed quid de objecto illius attributionis statuendum? cùm D. Th. l. 3. *contra gentes* c. 25. dicat: *ipsa prima Philosophia (Metaphysica) tota ordinatur ad Dei cognitionem, sicut ad ultimum finem, unde & scientia divina nominatur;* communiter DEUS statuitur objectum attributionis; quia saltem ex intentione scientis ceterorum entium cognitionis ad Deum refertur. Et licet Theologia etiam Deum pro objecto attributionis habeat; quia tamen illa Deum considerat ut authorem supernaturalem, & trinum.

Meta-

Metaphysica verò ut naturalem & unum , sufficiens habetur utriusque in cognitione objecti attributionis differentia.

*Inf. primò* , Ens rationis & negativum tantum reductivè ad Metaphysicam spectare , in quantum per oppositionem , vel similitudinem quandam cum vero ente ducunt ad meliorem cognitionem entis realis ; adeoque per accidens tantum , & secundariò à Metaphysicâ considerantur. *Contrariorum* quidem *eadem est disciplina* ; sed non semper eodem modo.

*Inf. secundò* , Metaphysicam considerando rationem entis abstrahere à materia ; hanc enim considerandam aliis scientiis relinquit.

Atque ex his Metaphysicam sic definies : *Scientia speculativa entis ut ens est.*

## Conceptus Entis.

**E**ns reale nominaliter acceptum , prout abstrahit à statu actualis existentiae & puræ possibilitatis , rectè dicitur *id* , cui ab intrinseco non repugnat existere. Si Deus haberet decretum nunquam producendi rem , repugnaret quidem extrinsecè existere , non tamen intrinsecè ; adeoque maneret ens. Neque intelligitur *non repugnantia negativa* , sed *positiva* aptitudo ad existendum , quæ consistit in connexione & convenientia prædicatorum , quorum , si producantur , unius existentia non destruit existentiam alterius. Conceptum autem hunc entis realis bonum esse , constat

ex eo , quia est primus : non enim oritur ex alio priore : dein convenit omni & soli enti reali . Unde excluduntur primò entia rationis : non enim sunt *absolutè* apta existere , nisi cum addito : *objectivè in intellectu* . Item negationes ; hæ enim tantum existunt suo modo , in quantum scilicet res positivæ per ipsas excluduntur .

Cùm hic entis conceptus indifferens sit , ut contrahatur vel per ascitatem ad Deum , vel per abaleitatem ad creaturam , vel per perfectatem ad substantiam , vel per inaleitatem ad accidens ; hinc communis est tam Deo , quam creaturæ , tam substantiæ , quam accidenti . Ad eum planè modum , quo ab homine & bruto abstracti potest ratio communis animalis . Cùm præterea ratio per hunc conceptum significata in omnibus sit eadem , omnibus univocè convenit ; unde creatura & accidens non solum cum addito & secundum quid , sed absolutè & simpliciter sunt ens . Videtur quidem ens inæqualiter & diversimodè participari à Deo & Creatura , præcipue cùm Deus sit ens independens , illimitatum , infinitum : cùm contra creatura sit essentialiter dependens , finita &c . At illa inæqualitas , diversitas , item dependentia , independentia non reluent formaliter in conceptu entis abstracti , sed solum contracti : ideoque nihil obstat , quò minus ratio entis abstracti maneat univocè communis ; ut manet ratio animalis abstracta , licet inæqualiter participetur à rationali & irrationali . Quòd SS . PP . vocent creaturas *non entia* , vel *entia secundum quid* , Deum autem *Ens simpliciter* , mirum non est : loquuntur enim de ente reali & per differentiam contracto .

Ex his sequitur , Deum esse *speciem subjicibilem* ( non *predicabilem* ) ad hoc enim sufficit , quòd collocetur sub certo aliquo genere , quod est *Ens* : hæc autem compositione nullam in Deum compositionem invehit , cùm tota se teneat

teneat ex parte nostri intellectus. Authores multi arbitrantur, Aristotelem hac in quæstione locutum fuisse problematicè: vel si hoc non placet, dic, locutum fuisse de ente in omni latitudine sua accepto, prout complectitur transcendentale & supertranscendentale, dum dixit: *Ens habere se sicut salubre ad sanitatem.*

Quæcunque paritates pro analogia adducuntur, facile solvit, si ad significationem vocis attendas: sic v.g. *risus* analogicè convenit homini & prato; quia cùm ratio quiditatativa *risus* sit jucunditas aliqua vitalis orta ex complacentia rationali, prato propriè convenire non potest; sicut tamen *rò non repugnare ab intrinseco existere*, propriissimè convenit substantiæ, accidenti &c.

Quia igitur conceptus entis nihil dicit aliud; nullâ ratione formaliter explicat perfeitatem, inaleitatem &c. unde sicut ex eadem ratione conceptus animalis non includit formaliter rationale vel irrationale; sic nec conceptus entis differentias. *Nec obstat*, quòd perfeitas cum ratione entis constituit *ens per se & simpliciter*, & inaleitas *ens secundum quid*; animal autem cum omnibus suis differentiis constituit *ens per se*: illa enim inæqualitas non tenet se ex parte rationis abstractæ, licet illæ differentiæ inæquales essentias constituant. Dein saltem æquè constituit substantiam *ens* cum perfeitate, atque cum aseitate: ergo saltem ab his differentiis æquè potest *ens* praescindi, atque animal à suis. Certè qui dicit: *substantia est ens*, non dicit idem formaliter, ac, *substantia est ens per se*.

Hucusque consentientem habuimus Doctorem subtilem & ejus scholam, item RR. plurimos cum Suarezio, Hurt. Arr. Ov. Illos amicos conservamus, non autem hos omnes, quorum hic pedem retrahunt aliqui, dum contendimus, differentias entis non includere formaliter

*ens,*

ens , sive ens non transcendere differentias. Ratio autem nostra fundamentalis est hæc : vel differentiæ sunt aliquid formaliter plus , quām ens , vel non ? Si secundum , non sunt differentiæ . neque aliquid superaddunt. Si primum , ergo illud plus erit differentia : ergo differentia non includit formaliter ens. Quod ens dicatur prædicatum transcendentale , non ideo est , quod formaliter transcendat differentias suas ; sed quod transcendat omnia prædicamenta. Sunt quidem differentiæ entis materialiter & physicè ens , non tamen formaliter : item differentiæ entis quā tales dicunt præsuppositivè & in obliquo , seu connotativè ens , sed non intrinsecè & in recto. Sunt tantum talitates , modificationes , determinationes entis ; hinc neque formaliter sunt aliquid , neque nihil , sed ab utroque præscindunt. Si eas concipis ut tales , non concipis nihil positivè , sed nihil præcūlīvè ; nec tamen æquè præscindunt à ratione possibilis , quām impossibilis : à ratione enim possibilis præscindunt positivè , quia in sensu reali verè sunt aliquid possibile , à ratione autem impossibilis præscindunt negativè tantum. Similiter perleitas neque est formaliter substantia , neque formaliter accidentis : quia inter illa duo datur etiam medium rationis.

De aseitate major difficultas est : circa quam hæc observa. *Primò* , quod includat tantum existentiam incompletè sumptam pro sola necessitate existendi ; & licet in definitione Dei involveretur existentia actualis , sat's esset , si involveretur in genere. *Secundò* , quod non sit necesse , ut aseitas sit formaliter perfectio infinita ; sufficit enim , quod sit radicaliter : dein illa ut formaliter talis & incompletè accepta non exigit perfectiones infinitas in Deo ut possibles , sed sic exiguntur ab ente à se , sive aseitate completè tali , sic rugatio completè accepta provenit à principio vivente completè tali , incompletè autem talis

alis à talitate principii viventis. Reliqua Theologis relinquimus. Quòd differentiae possint cognosci , nihil plus probat , quām quòd sint aliquid supertranscendentale.

## Attributa Entis.

**A**ttributa , sive proprietates entis Metaphysicæ communiter statuuntur , *anitas* , *veritas* , *bonitas* ; his enim tribus convenient omnia , quæ requiruntur ad proprietatem : connotant siquidem rem absolutè possibilem. Dein sunt convertibilia cum ente ; *ens & unum* , inquit D. Th. , *convertuntur* , *sicut quæ sunt idem re , & differunt ratione*. Tertiù sunt extra conceptum entis ; quia in definitione entis nulla sit illorum mentio : audiatur iterum D. Th. *ideo non est nugatio , cùm dicitur , ens est unum , quia unum addit secundū rationem supra ens*. Denique ad essentiam formaliter consequuntur : hoc ipso enim , quòd sit *ens* , sequitur , quòd sit *unum* ; nihil enim physicè existere potest ; nisi sit *unum* & singulare individuum : quòd sit *verum* ; *unumquodque enim* , juxta Aristotelem , *ut est , ita & verum est* : quòd sit *bonum* ; quidquid enim potest existere , potest tollere sui negationem , seu maximum suum malum physicum ; ergo physicè est bonum. Ex quibus vides , has proprietates propriè non convenire negationibus & impossibilibus ; quia de illis dictæ non connotant rem absolutè potentem physicè existere. *Existentia* non est attributum entis , quia pariformiter cum ente sumpta ingreditur ipsius conceptum. Idem dicendum de his duobus prædicatis : *res , aliquid*.

*Veritas transcendentalis* est ipsa rei entitas , quatenus  
 hæc per se ipsam , vel per speciem suî ingenerare potest  
 veram suî cognitionem. ità ferè des Rhodes. *Ratio* est ;  
 quia cognitionis dicitur formaliter vera , quod se conformet  
 objecto ; & illud repræsentet , sicut in se est : ergo &  
 objectum bene dicitur transcendentaliter & objectivè ve-  
 rum ex eo , quod per se , vel suî speciem sit aptum causare ve-  
 ram suî cognitionem. Quæ cum enti negativo & ficto non  
 conveniat (non enim causant cognitionem divinam ; & ab  
 intellectu creato tantum cognoscuntur per species alienas )  
 hæc ipsis proprietas est abjudicanda. Neque in hâc explicati-  
 one ullus timendus est circulus ; nam objectum non ideo  
 dicitur verum , quia est conforme cognitioni ( de objecto  
 enim transcendentaliter vero dari potest cognitionis falsa , ut  
 patet ) sed quia ab intrinseco aptum est fundare cognitionem  
 representantem se , sicuti est : cognitionis vero est vera  
 formaliter , quia repræsentat objectum , sicuti in se est.  
 Adde , relativas denominationes semper mutuum ad se  
 respectum dicere. Cùm falsitas veritati transcendentali  
 opposita sit negatio cognoscibilitatis *per se* , non convenit ,  
 nisi non enti , & enti ficto. Quia vero intellectus no-  
 ster ens reale potest cognoscere aliter , ac in se est , falsi-  
 tas impropriè dicta illi inesse potest , sed , ut patet , de-  
 nomination hæc est extrinseca , & imperfectioni intellectus  
 tribuenda.

*Bonitas transcendentalis* est rei cuiusque amabilitas ,  
 propter quam possit generare suî amorem. Intellige au-  
 tem amabilitatem *radicalem* ( quam alii per nomen  
*convenientia secum ipso* explicant ; unde *absoluta* malitia  
 nulli enti reali convenit , licet *respectiva* conveniat plurimi-  
 bus , sic calor febrilis v. g. est malus *physicè* animali ) Hâc  
 amabilitate *radicali* bonum prius non est , licet sit prius  
 amabilitate *formali* : unde etiam impossibilitato omni  
 amore

amore extrinseco tantum, manet ipsa res amabilis: si autem impossibilem ponas omnem amorem intrinsecum vel appetitum innatum, cum tunc impossibiliteretur ipsa res amabilis, utpote quae eadem est realiter cum appetitu innato, nec manet bonitas, nec amabilitas rei.

*Unitatem transcendentalē frustra repones in entitate aliquā modali, aut aliā positivā superadditā.* Ratio ex D. Th. efficax est hæc: illud superadditum etiam erit unum: non per novum superadditum; alias ibitur in infinitum: ergo per se ipsum: adeoque hoc dici poterit de quovis alio ente. *Si dicas, quod illud superadditum sit ultima determinatio entis in ratione unius, adeoque esse formaliter unum per se ipsum; sicut v. g. unio, quia est formalis determinatio uniendi, non unitur per novam unionem.* *Contra est primò:* ergo saltem non repugnat entitas, quae per se ipsam sit una. Deinde unio superadditur enti, quia est indifferens, ut uniatur: ens autem non est indifferens ad unitatem. Denique ens, ut distinctum ab istâ unitate superadditâ, est unum; quia per se ipsum habet, quod non sit divisum in se: ergo.

*Addere:* DEUS ab æterno fuit unus unitate transcendentali sive tali modo; quia ab æterno nulla fuit entitas præter DEUM: ergo à pari.

Unitas igitur formaliter sita est *in indivisione rei in se positivā.* Dico, *indivisio*, non enim tricari volumus cum iis, qui putant, rō *indivisibilitas* esse prædicatum prius: nos per utrumque idem intelligimus, nempe *exigentiam*, quā res exigit non dividī in plura adæquatè talia, *qualis ipsa est.* Ratio autem est; quia per hanc indivisionem *primò* excludit divisionem, sive pluralitatem, non quidem *formaliter & contradictoriè* (hoc enim facit negatio pluralitatis) sed *exigitivè, radicaliter, & quasi contrarie.*

contrariè. Quòd illa indivisio explicetur nomine negativo , nihil obstat ; sic enim *spirituale* , *immortale* &c. explicantur homine negativo , & tamen quoad rem significatam sunt quid positivum : sic & unitas , cùm sit proprietas Metaphysica entis realis , debet quoad rem significatam esse quid positivum , licet negatio formalis divisionis necessariò consequatur. Totum autem fundatum contrariæ sententiae facile evertes , si idem instans reale dividias in tria signa rationis. In *primo* concipe entitatem v g. Petri secundùm sc. in *secundo* exigentiam , quam habet Petrus ad negationem divisionis vel pluralitatis. in *tertio* formalem negationem pluralitatis. Ex quibus vides , in *secundo* signo *radicaliter* tantum excludi pluralitatem ; *formaliter* autem & *contradictoriè* in *tertio* signo : & cùm in *secundo* signo Petrus sufficienter intelligatur unus , illa negatio serovenit , & ad summum constituit unitatem secundariam & negativam. Unde satis intelligitur *primò* , quòd , licet indivisio excludat pluralitatem , non tamen sit aliquid negativum ; quia excludit illam tantum *radicaliter* , non *contradictoriè*. *Secundò* , quòd ablata praeceps negatione pluralitatis non tollatur unitas ; quia non tollitur indivisio , sive dicta exigentia. *Tertiò* , quòd positâ pluralitate tollatur quidem *non divisio* formaliter ; si rò *non sumatur neganter* , scilicet , si *in infinitanter*. *Quartò* inde sequi , Petrum in tali casu fore simul unum , & non unum : interim , quòd pereat consecutivè unitas transcendentalis , mirum non est ; nam positâ pluralitate consecutivè tolleretur Petrus ipse , conseqüenter & exigentia Petro identificata. Qui dicunt , unitatem ut sic abstractam ab ente positivo & negativo , esse quid negativum , extra oleas saltant ; quia tantum examinatur attributum entis realis : dein sicut ens negativum *in propriè* est unum , sic etiam est *impropriè* unum per se

se ipsum. Qui ajunt, unitatem entis compositi consisteret in unione, audiri possunt de unitate compositonis, non de unitate transcendentali. Si Arist. aut D. Thom. videantur alicubi favere contrariae sententiae, intelligendi sunt de negatione divisionis radicali. *Dices:* Veritas formalis actuum necessariò verorum non salvatur per solam exigentiam sic se habentiae objecti, ut actus enunciat: ergo à pari. *Resp.* Veritas formalis est conformitas, sive similitudo; hæc autem semper dicit duo. Unitas non est conformitas; sed attributum, sive realis proprietas enti identificata.

Requirit Oviedo ad conceptum unitatis *indivisionem à se*, at ex eo capite meritò rejicitur; quia habitâ solâ indvisione in se habetur unus v. g. Petrus. Licet Petrus per impossibile esset simul Paulus & lapis, tamen adhuc maneret unus Petrus; cùm non fiat plures adæquate tales, qualis est ipse; uti natura divina, licet sit plures personæ, quia tamen non fit plures tales, qualis ipsa est, manet una natura & essentia divina. Dum D. Thom. ait, quod *unum sit indivisum in se & divisum à quolibet alio*, interpretandus est de unitate numericâ: si enim v. g. Petrus dividatur à se, habentur plura numero entia, licet Petrus maneat indivisus in se, adeoque unus. Quod ait Oviedo, *indivisionem à se* transcendere quamcumque rationem constitutivam entis, verum est, si intelligatur conceptus distinctionis; falso, si conceptus unitatis.

*Distinctio* igitur *realis* statuenda est *in positiva rei indvisione à se*, sive in exigentia rei, quâ exigit non esse plures, qualis ipsa non est. Negatio enim identitatis, in qua illam alii reponunt cum P. Suar., serovenit; hoc enim ideo, quod intelligatur res exigere, non identificari alteri enti, quale ipsa non est, sufficienter, & primò quidem

intelligitur excludere identitatem cum alio ente. Accedit, quod Petrus v.g. distinguitur realiter à negatione identitatis cum Paulo: vel ergo per aliam negationem, vel per propriam entitatem? Si *primum*, proceditur in infinitum. Si *secundum*, cur ergo etiam non distinguitur per propriam entitatem ab omni aliâ re? Signa hîc eadem statuenda, quæ suprà. In *primò* concipitur entitas rei secundùm se. In *secundo* exigentia, quâ exigit non esse alia res, qualis ipsa non est. In *tertio* formalis negatio identitatis cum alia re. In *secundo signo* habetur positiva distinctio, adeoque negatio serovenit. Ubi diligenter advertendum, has propositiones, *Petrus est Paulus*, *Petrus non est Paulus*, licet sint contradictiones à parte rei, & in statu reali, non tamen esse contradictiones pro statu intentionalí, vel in *secundo signo*; quia utraque tum affirmativa est & falsa; sic enim explicari debent: *Petrus concipitur esse Paulus*, *concipitur non esse Paulus*. Unde nec Deus pro illo signo potest dicere, *Petrum non esse Paulum*: quia falsum diceret, dicendo: *Petrus concipitur non esse Paulus*. Ex quo non sequitur, Deum præscindere; sed tantum, quod in nobis dentur talia signa, quæ intuens videt, quod nos pro secundo signo non concipiamus formalem negationem identitatis. Iterum hæc non sunt contradictiones: *Distinctio est identitas, est negatio identitatis*: sed prioris contradictione est, *distinctio non est identitas*, quæ certè non coincidit cum illa, *distinctio est negatio identitatis*. Sicut enim homo v.g. neque est arbor, neque negatio arboris; sic distinctio neque est identitas, neque negatio identitatis.

Per negationem identitatis distat quidem Petrus maximè à Paulo *negativè*, non verò *positivè*: unde & negatur simpliciter illa propositio: *per hoc Petrus distinguitur à Paulo, per quod verum est, Petrus non est Paulus*, quia

subdolè involvitur negatio identitatis. Denique solā positiā negatione identitatis inter Petrum & Paulum, non ponitur distinctio; nec solā illā sublatā distinctio tollitur: nam in casu illo impossibili, in quo poneretur Paulus esse idem cum Petro, Paulus esset idem cum Petro, & esset distinctus à Petro; retineret enim Paulus eandem naturam, quā exigit Petrum à se excludi. Ex quibus infertur, illam exigentiam, vel indivisionem à se tantū tolli formaliter per negationem exigentiae vel indivisionis. *Nec dicas,* pro priori ad illam exigentiam intelligi distinctionem realem, cùm pro priori intelligantur prædicata essentialia rei. *Nam* hoc tantū probat, res pro priori distingui *fundamentaliter*, non verò *formaliter*, si spectetur conceptus metaphysicus distinctionis. Est quidem differentia individualis prior; sed non est necessariò distinctiva, nisi concipiatur ut exigens negationem identitatis cum alia hæc ceitate.

**Q.** An distinctione realiſ v.g. inter Petrum & Paulum, consistat in entitate ſolius Petri, vel in entitate utriuſque? **R.** Si distinctionem sumas pro forma, quā Petrus diſtinguitur à Paulo, & vice versa, vel à Paulo ut actu existente, conſtit in utriuſque entitate, adeoque eſt relatio prædamentalis; ſicut enim Petro accidentale eſt, quod Paulus actu existat, ſic accidentale ipſi eſt, quod ab ipſo ut actu existente diſtinguatur actu. Si verò pro forma, quā Petrus præcise diſtinguitur à Paulo, præſcindendo, an hic existat, vel non; eſt Petro adæquatè eſſentialis, adeoque relatio tranſcendentalis; quia Petrus eſſentialiter exigit non eſſe idem cum omni eo, quod ipſe non eſt.

Ex his colliges, omnem modum ſuperadditum ad habendam distinctionem realem eſſe ſuperfluum: tollatur enim modus omnis, & Petrus adhuc manebit noti fundamentaliter tantū, ſed formaliter diſtinguitus à Paulo.

Sic Deus realiter distinguitur à creatura sine modo superaddito. *Nec recurras ad modum in creatura receptum*; hoc enim effugium universale non est, ut patet in Divinis Personis. Dein res nulla potest *intrinsecè* determinari per modum in alia re receptum: potest quidem Petrus ex dextero fieri sinister per ubicationem soli Paulo superadditam; sed hæc denominatio est *accidentalis & extrinseca*; esse distinctum est rei *essentialis & intrinsecum*. Item esse in hoc loco, tempore, esse unitum, habetur per modum distinctum, ut tollatur *indifferentia*, quam res habent ad has denominationes; nullum autem ens est *indifferens*, ut sit distinctum ab alio. Adde: Petrus v.g. est realiter distinctus ab illo modo superaddito: si per alium modum, procederetur in infinitum: si per seipsum; cur non dicis idem de omni alia re?

## *Individuatio Entis.*

**S**ed quid de entis individuatione statuendum? Principium individuationis *intrinsecum* cuiuslibet entis nos statuimus in ipsis prædicatis enti *intrinsecis*, quæ similia sunt prædicatis alterius entis. Dico, *intrinsecum*; nam illa Porphyrii descriptio, quod individuum sit *id, cuius collectio proprietatum in nullo alio potest inveniri*, tantum indicat individuationem *extrinsecam*. Dico iterum: *prædicata intrinseca similia &c.* unde licet Deus habeat sua prædicata *intrinseca*; non tamen est individuum, sed singularis tantum; quia prædicata Dei non possunt esse similia alteri. His positis videtur D. Th. pro nobis facere: ait enim, quod *individuum sit indivisum in se*; hoc autem res habet per suam entitatem: item, *substantiam individuari per seipsum*: denique, *formas immateriales separatas per seipsum*

*seipso esse individuas.* Unde dum videtur aliquando insinuare , rem individuari per materiam signatam quantitate , intelligendus est de principio individuationis extrinsecō : atque ideo etiam negat , in Angelis dari individuationem extrinsecam . Dum Arist. 12. *Met. c. 8. textu 49.* probat , *primum Motorem unum esse numero , quia materiam non habet* ; putat Molina , Aristotelem in hoc errasse ; quia putans , Deum agere ex necessitate naturae , si concessisset multiplicabiles numero intelligentias , concedere etiam debuisset , crēatas à Deo infinitas : quod absurdum ut declinaret , eò confugit , ut diceret , individua tantum multiplicari per materiam : quare usus est principio inadæquatè falso ad tuendam opinionem minus veram . Suarez ait , Aristotelem nunquam ex professo hoc principium examināste ; sed solum ex sensibilibus docuisse modum investigandi distinctionem unius individui materialis ab altero : sicut & nos facile concedimus , quod hoc sit principium individuationis extrinsecum , per quod una res *quoad nos* sit discernibilis ab alia ; quia accidentia nos tantum intuitivè cognoscimus , non vero substantias . De Benedictis vult , optimè explicari Aristotelem , si nomine materia intelligatur , non pars subjectiva compositi physici , sed res , ut est in potentia ad perfectionem ultiore , quam potentiam qui excludit , numero multiplicari non potest .

Hinc habes *primo* , principium individuationis intrinsecum non esse ordinem rei ad materiam , vel quantitatem , vel ad materiam sigillatam quantitate . Alias enim , ubi est alia materia & quantitas , vel aliud subjectum , etiam erit alia individuatio formæ , & accidentium : hoc non ; quia omnes formæ respiciunt eandem materiam , & tamen non sunt una , & individua forma . Item albedo A , quæ est in patiente A , potuit supernaturaliter esse in alio ,

neque tamen potuit esse alia individuatio. Iterum albedo & dulcedo sunt in eadem parte lactis sigillata eadem quantitate, & tamen non sunt eadem individuatio; sed specie inter se distinguuntur. Denique in duobus Angelis datur individuatio; & tamen non datur materia, neque quantitas; cum enim DEUS possit perfectiores producere, cur etiam non possit producere similem v. g. Michaëli? sed ante omnia quero ex Adversariis: per quid ergo individuatur ipsa materia vel quantitas? hic necessariò vel committitur circulus, vel itur in infinitum, vel per se ipsa individuantur. Si hoc: cur non etiam res qualibet? Ubi NB., quod differre materialiter, non dicat semper ordinem ad materiam physicam: nam plura individua dicuntur esse major perfectio materialiter, id est, extensivè, non verò formaliter, id est, intensivè. Iterum licet distinctio numerica debeat desumi ab eo, quod est infimum in rebus; propterea non debet semper desumi à materia; quia res dantur, quæ non constituuntur per materiam: hoc ergo sensu sumuntur ab eo, quod est infimum, quod sumatur ab ultimâ rerum perfectione, quæ est hæcetas.

Hinc habes secundò, principium individuationis non esse desumendum à rei entitate, prout respicit has numero causas, & hanc accidentium collectionem. Cur enim eadē numeto res producta ab his causis & in his circumstantiis, non potuisset esse producta ab aliis? v. g. cur DEUS nequeat producere solus eandem lucem, quam modò simul cum sole producit? Absurdum est, imò, ut inquit D. Th., erroneum est dicere, DEUM non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui sunt per quamcunque causam creatam. Accedit, quòd juxta TT. sit specialis gratia Progenitoribus Christi, quòd ex ipsis potius illo tempore, quam ex aliis alio tempore, natus sit Christus.

Hinc

Hinc habes tertid, principium individuationis non esse entitatem rei, prout concipiatur in ordine ad suam existentiam; quia munus existentiae tantum est, reddere rem existentem ( licet per existentiam res arguitivè sit individua ) sic existentia non reddit DEUM individuum. Neque entitatem rei conceptam in ordine ad suam formam; quia dari possunt individua plura, quae habeant eandem numero formam; dein Angeli non habent formam. Forma est quidem determinatio ultima materie ad esse hujus compositi specifici & physici; sed non individui.

Individuum autem duplicitate consideratur, *Physicè*, & *Logicè*. Individuum *physicum* est *indivisum in se*, & *divisum à quolibet alio*; quæ ultimæ particulae claritatis causâ tantum adjiciuntur. *Logicum*, quod est *praedicabile de uno tantum*, aut *quod immediate subjicitur speciei insimæ*. Aliud est *determinatum*, quod unum solùm determinatè significat: si significet unum vagè & indeterminate ex multis, dicitur *individuum vagum*; quod fit, quoties terminus communis afficitur signo particuli: illud à parte rei non dari adæquate, patet; quia includit actum intellectus disjunctivum; nec directè sumptum esse universale, utpote non praescindens à pluralitate: *per actum reflexum* omnia individua vaga posse confundi per modum unius, item quoad rem significatam dari à parte rei, extra dubium est.

Interim ab omnibus individuis abstrahi potest aliquæ ratio communis & univoca individui: omnia enim individua convenient in eo, quod sint *indivisa in se*, quod sint *individua &c.* licet differant in ratione *talis* indivisi in se &c. Ex quibus *advertes primo*, quod prædicatum, quod ab omnibus individuis abstrahitur, sit individuatio; à quo abstrahitur, sit *talitas individuatio-*

duationis: unde licet individua differant inter se per tales differentias individuales, vel per illas clare cognitas; convenient tamen per easdem confusè cognitas: & quidem, nisi metuas cerebro, poteris facere abstractiones in infinitum. Simile habes in dissimilitudine, quæ reflexè cognita potest esse similitudo respectu hujus & istius dissimilitudinis: sic individua directè & completere cognita sunt ratio disconveniendi; incompletè & reflexè cognita ratio conveniendi. Atque hinc advertes secundò, quod individualis differentia reflexè cognita sit tantum signatè ratio differendi, non vero exerciè: nam aptum praedicari de uno solo intrinsecè & directè, extrinsecè & reflexè sit aptum praedicari de pluribus, quantum præcisè vi istius cognitionis representatur. Advertes tertio, pronomina illa, ego, tu, ille, à Grammaticis instituta quidem esse, ut significant ultimò determinatam & singularizatam personam: accipi interim possunt intentionaliter; atque ita non significabunt personam ultimò singularizatam, sed positivè præscindent ab hac, vel illâ primâ personâ &c. Ex eodem capite, licet haec propositio: Petrus est indivisus in se, grammaticè sonet, in se Petrum, & sic etiam verificetur propositio; nihilominus philosophicè potest habere modum tendendi abstractivum ex parte praedicati. Quidquid ab Adversariis objicitur, unicâ dissilitur distinctione inter individuum directè & reflexè cognitum.

Si petis, ad quod universale pertineat ratio abstracta ab individuis. R. abstracta ab individuis physicis spectat ad proprium genericum; sicut enim unum est proprium entis, sic etiam individuum. Abstracta ab individuis logicis spectat ad accidentis; nam accidentale est individui, cognosci eâ cognitione, per quam fiant subiectibilia speciei, vel prædicabilia de singulari solo. Abstracta à physicis & logicis

logicis simul, partim ad proprium, partim ad accidentem pertinet.

## *Divisio Entis in decem Prædicamenta.*

**A**ristoteles ens divisit in decem prædicamenta, scilicet in substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, ubicationem, durationem, situm, habitum. Hæc divisio ex congruentia aliqua bona est, quam suggerit D. Th. 3. phys., quia decem sunt interrogaciones, quæ fieri possunt v.g. de Socrate: ceterum arbitraria Philosopho, cui, P. Suar. putat, nefas contradicere. Ordinavit autem hæc ita Aristoteles, ut in promptu statim haberemus terminos, quia res nulla est, quæ non ad unum ex his reducatur. Qui volunt, omnia prædicamenta inter se distingui realiter, faventem sibi nequeunt habere Philosophum, qui, omissis aliis, actionem à passione non distinguit, ut constat ex 3. phys. c. 22. Neque D. Th. & antiquiores Thomistas, quos citat P. Suar. D. 39. Metaph. SeEt. 2. n. 21. Audiatur Capreolus in 1. Dist. 8. q. 2. ad 8. non oportet, quod prædicamenta distinguantur per realem distinctionem naturarum semper, sed penes diversum modum prædicandi, secundum quod ponit D. Th. super 5. Metaph. cap. de ente &c. Aliquando igitur distinguuntur realiter, aliquando solâ ratione.

*Substantia* facit primum prædicamentum, reliqua sunt accidentia, *saltē logica*. Substantia est ens per se; quod sic explicari potest cum de Benedictis: substantia est res primò & per se existens, & propter se intenta à natura, quæ

quæ sit prima radix reliquarum operationum, quæ sunt in ipsâ, vel propter aliud à naturâ intentum, à quo ipsum adæquatè non distinguitur: sic materia, unio, forma substantialis, singula intenduntur propter compositum substantiale, primariò à naturâ intentum: ex eâdem ratione actio educitiva formarum substantialium juxta nos, qui unionem illi identificamus, est substantia, utpote intenta propter compositum substantiale inadæquatè ab ipsâ distinctum. Est autem substantia ex Aristotele duplex, *prima*, quæ est substantia singularis; & *secunda*, quæ est substantia universalis.

*Accidens* est *ens in alio*, & dicitur *entis ens*, scilicet substantiæ; quia est propter ipsam, in eâque hæret; ad naturalem enim suâ existentiam indiget subjecto. Novaturiunt enim verò, ne quid plus dicatur, cum Gassendo & Cartesio, qui accidentia absoluta, à substantiâ distincta, è rerum naturâ eliminant. Pro istis explicandis ad atomorum compositiones, corpusculorum varias dispositiones, sic ut sic, taliter & taliter, aliter & aliter factas recurrere, nil aliud est, quam poëticis figuris ac fictionibus naturam involvere. Si enim hâc ratione corporum qualitates, effectus, & proprietates, tantâ facilitate explicari possunt: explicit v. g. calorem quænam corpuscula constituent? quæ elementa saporem? quot in utroque pulvisculi reperiantur sphærici, quot cubici, pyramidales, quadrati &c.? vel si in partium motu aut agitatione ista constituent; quam quæsò lineam quælibet atomus suo motu describit? rectâmne, an curvam? circularem, an aliam? quot & qualia feruntur sursùm? quot deorsum: quod si ista à se ignorari, nec sensibus percipi posse fateantur, simul fateantur oportet, inepte i.e agere, dum accidentia peripatetica non aliâ ratione aggrediuntur, quam quod sensibus, visu præseitum ac tactu,

tactu, ea percipere non valeant. Sed ingrediantur Sacramentum; dumque hostiam consecratam, vinumque consecratum intuentur, fateantur cum Ecclesiâ, ibi solas reperiri species, destructâ substantiâ panis & vini. Quid autem species sunt aliud, quam accidentia panis & vini? Hic certe communis videtur esse sensus PP. & Ecclesiae. Sic Concilium Constantiense sess. 8. damnat hanc Wicleffi propositionem: *accidentia panis non manent sine subjecto in Sacramento Eucharistie.* Conc. Colon. tit. de administ. Sacram. c. 15. ait: *quid panis, vinique species aliud sunt post consecrationem, quam species sacramentales, & accidentia sine subjecto?* Hæc autem in alienum Atomistarum sensum detorquere, est nugari cum decretis Conciliorum. Nam si Christus tantum suppleret species in Eucharistiâ, imprimendo eandem affectionem sensibus. quam imprimebat substantia panis & vini; pari ratione posset dici, Christum non resurrexisse verè & corporaliter; sed DEUM per omnipotentiam tantum excitasse speciem Christi in oculis videntium; quod est immediatè contra fidem. Deinde Christum ipsum hoc modo fallere effectivè sensus nostros, talèmque præstare apparentiam panis & vini, figmentum est nullâ ratione nixum. At falluntur tamen in hoc mysterio sensus nostri? Ex mente Catholiconrum non falluntur in eo, quod judicent istic verè accidentia sentiri; verè enim ibi est color, gravitas, sapor &c. Sed quod ex illis, modò sibi relinquerentur, inferrent, quoque adesse panis & vini substantiam. Et sanè si Christus tantum suppleret species in Eucharistiâ; species panis non esset in Sacramento, sed tantum in oculo &c Sunt, qui Ducis sui Cartesii pietatem secuti, satis sibi ad excusationem esse putant, si se non Thologos, sed Philosophos esse dicant: rectè quidem, dummo-

dummodò sat catholicè. Sed petes , quomodo sensus verborum consecrationis in nostrâ sententiâ salvetur ? Resp. optimè ; sic enim sonant : *hæc substantia , qua substitat his accidentibus , est corpus meum.* Sed hîc gradum fistimus.

*Quantitas* cum P. Suar. bene definitur , quòd sit accidens absolutum , distinctum à materiâ , exigens actualē impenetrationem partium quoad se , & quoad aliud corpus. Unde audiendi non sunt , qui quantitatem identificant materiæ primæ , aut qui volunt , omne ens materiale habere sibi identificatam quantitatem. Reclamat enim Aristot. l. 7. *Metaph.* t. 8. sic loquens : *longitudo , latitudo , & profunditas quantitates quadam sunt , non substantia ; neque enim quantitas substantia est , sed id potius est substantia , cui hæc ipsa primo insunt.* Item D. Thom. 3. p. q. 77. art. 2. ait : *necessæ est , dicere , accidentia alia , quæ remanent in Sacramento , esse sicut in subiecto , in quantitate dimensivâ panis vel vini remanente.* Atque ex hoc mysterio ratio efficax desumitur : cùm enim ex Conc. Trid. s. 13. habeamus , quòd maneant species panis ; cur inter eas non numeremus quantitatem? proprietates quantitatis vides ; & quantitatem adesse neges? Accidentia naturaliter penetrabilia sunt , ut constat in albedine & sapore : ergo propriam iis quantitatem assignare nequis. Aut si per novum miraculum impediuntur , ne confluant in punctum , jam multiplicas miracula sine necessitate.

Data Suarezii definitio essentiam quantitatis pariter exhibet , *radicalem* scilicet *impenetrabilitatem* : in quo enim alio convenientius statuatur ? Certè non in *actuali impenetratione* aut *extensione* ; penetravit enim Christus januas clausas , obsignatum sepulchri lapidem ; nec quantitatem destruxit : in Eucharistiâ quantitatem retinet , nec

nec tamen habet actualem extensionem. Ad hæc : tollat DEUS quantitatem à corpore Petri ; adhuc caput Petri erit immediate junctum collo , collum pectori , & non immediate pedibus ; tūm erit extensio actualis , & ordo partium inter se , & in ordine ad totum ; nec tamen quantitas aderit. Materia sive quantitate tantum radiculariter & remore exigeret impenetrationem , exigendo quantitatem ; unde impenetratio erit prior in intentione , non in executione ; in executione enim est effectus quantitatis , quem DEUS impedire potest. Corpora gloriofa se invicem penetrant , etiam exigunt penetrationem ; sed non exigentia fundata in prædicato intrinseco corporum , sed in prædicato intrinseco statu beatifici. Quod si duo Angeli ē mutuo excludant ex eodem loco ; id faciunt effectivè , non formaliter per formam quantitativam. Una ubicatio excludit aliam , non titulo impenetrabilitatis , sed immobilitatis ; utraque enim est affixa certo loco. Sunt adhuc , qui essentiam quantitatis ponunt in mensurabilitate ; sed hoc , ut sustineatur , nihil persuadet : prius enim est , rem esse extensam in ordine ad locum , & impenetrabilem , quam esse mensurablem , aut mensurativam ; ideo enim mensurabilis est , quia extensa & impenetrabilis : ergo serius venit mensurabilitas , tanquam proprietas ad radicalem impenetrabilitatem. Aliis prædicamentis ad Physicam reiectis , examinandum hic restat prædicamentum relationis.

Relatiya juxta Aristotelem sunt , quorum totum esse est ad aliquid se habere. Relatio est habitudo unius ad aliud : atque hic distinguitur forma à concreto ; relationum enim , & relatio , differunt , sicut concretum & abstractum : unde sicut albedo v. g. non dicitur alba , sic nec relatio dicitur referri , nisi tantum ut quo.

Alia est *prædicamentalis*, alia *transcendentalis*; hæc fundamen-  
to *physicè* *essentialis* est; ideoque *transcendentalis*  
dicitur, quia *transcendit* omnia *prædicamenta*, nullum  
enim est ens, quod sibi non identificet aliquam relatio-  
nem *transcendentalem*, quod vel sola *distinctio* *realis*  
*evincit*: ex quo tamen minimè sequitur, nullum dati  
ens *absolutum*; nam ens *absolutum* est illud, quod  
in suo primo conceptu *quidditativo* non explicatur in  
ordine ad aliud: quæ autem in eo *implicantia*, quòd  
tale ens sibi identificer *tale prædicatum*, quod non  
potest explicari, nisi in ordine ad aliud? Illa *inadæqua-*  
*tè* *saltē* *distinguitur à fundamento*; adeoque & *acciden-*  
*talis* dicitur: dicitur *prædicamentalis*, quia speciale  
*prædicamentum* constituit. Atque hæc sufficiens est  
*distinctio* inter utramque relationem; neque probatur  
illa, quòd *prædicamentalis* requirat extrema actu exi-  
stentia, secùs *transcendentalis*: nam contrarium patet  
in relatione prioritatis & posterioritatis, quæ est *prædicamen-*  
*talis*, & in unione respiciente extrema, quæ est  
*transcen-*  
*dentalis*.

De *solā prædicamentali* hīc nobis potissimum sermo  
est. Consideranda in eā veniunt tria, *primò id*, quod  
dicitur referri v. g. *paries A*; & vocamus *fundamentum*.  
*Secundò id*, ad quod refertur v. g. *paries B*; & voca-  
mus *terminum*: *Tertiò ratio*, propter & per quam  
unum refertur ad aliud, v. g. *utraque albedo* in utro-  
que pariete; & appellamus *rationem fundandi*. Rela-  
tiones reales à parte rei negant cum Quiros, & Nom-  
inalibus aliqui: at cùm detur à parte rei paternitas,  
*filiatio*, *similitudo* duorum in *qualitate* &c. (quis enim  
credat, veritates *objectivas* harum propositionum:  
*David est Pater Salomonis*, *paries albus A est similis*  
*parieti albo B*; constitutivè *ingredi* actum *intellectus*)  
etiam

etiam dabuntur à parte rei relationes formales. Dein si omnem relationem formalem ingrediatur actus intellectus , pari jure dicam , quamcunque denominationem formaliter constitui per actum intellectus , & sinè illo haberi tantum *fundamentaliter* ; adeoque v.g. cælum à parte rei erit tantum fundamentaliter rotundum. Fundamentum & terminus habentur independenter ab actu intellectus ; nam per hoc aliquid est *fundamentum* , quod sit ponibile in recto ; & *terminus* , quod sit ponibile in obliquo ; ideoque *realiter* loquendo idem est fundamentum & terminus ; sed diverso respectu . unde licet album A v.g. sit indifferens , ut ponatur in recto ; non est tamen indifferens , ut sit vel fundamentum , vel terminus. Seclusâ cognitione comparativâ , omnia in relatione sunt quidem absoluta , si ea accipias seorsim , & sub prædicatis , quæ absoluta sunt ; non verò si sumas simul & sub prædicatis respectivis : sicut enim ex entibus incompletis fit unum completum , sic ex absolutis , si simul sumantur , potest fieri quid respectivum. Verum est , quod universale ideo non detur à parte rei ; quia omne ens reale est singulare , & hoc ipso non est communi-  
cabile multis : at nullum ens absolutum datur , quod non possit aliquam habitudinem , ordinem , vel respectum sive in se ipso , sive aliunde recipere. Item eadem cognitione sublatâ , paternitas , similitudo duorum patientium &c. sunt quidem *tantum fundamentaliter* relationes intentionales , sunt interim formaliter relationes reales : nam licet illâ cognitione seclusâ unum non referatur actu intentionaliter ad aliud , refertur tamen formaliter à parte rei comparatione objectivâ & physicâ , quæ consistit in eo quod à parte rei detur tota forma vel ratio fundandi , quæ est causa , cur unum referatur intentionaliter ad aliud. Ex quibus tandem concludes , si adversarii nihil plus velint ,

quām quōd non dentur formaliter relationes à parte rei  
*quoad modum significandi*, eò quōd in relationibus unum  
 velint importari in recto, alterum in obliquo; sed tan-  
 tūm *quoad rem significatam*; item relationes intentio-  
 nales tantūm dari fundamentalirer à parte rei, facile  
 nos consentientes habebunt: sed tum fit quæstio de  
 voce.

Qui, ut habeatur formaliter relatio realis, ad modum  
 aliquem fundamento, termino, & rationi fundandi su-  
 peradditum recurrent, aliquid superfluum adstruunt: solā  
 enim habitâ ratione fundandi v.g. albedine in pariete A, &  
 albedine in pariete B, paries A est talis, qualis est pa-  
 ries B, non tantum fundamentaliter, sed etiam formaliter:  
 cùm *similitudo* definiatur *una qualitas duorum*. Dein  
 si homo albus nascitur, aut digitus movetur, an statim in  
 aliis omnibus novus modus vel *similitudinis*, vel distan-  
 tiæ &c. producitur, an non? *Si non*, ut docent aliqui,  
 qui putant, per eundem modum rem unam posse esse in  
 eadem ratione pluribus similem. *Contra est*; Si homo  
 albus, qui nascitur, ponatur omnium primus, non te-  
 net assertum. Dein dum nunc denuo homo albus nasci-  
 tur, non tantum res universæ ad ipsum referri incipiunt,  
 sed ipse etiam innumeræ relationes habet ad alia omnia;  
 ergo cum ipso debent innumeræ entitates respectivæ pro-  
 duci. Quod si admittis cum aliis: edic, quæ causa, &  
 quomodo producit? hîc variè respondent. Alii negant,  
 modum illum esse verum effectum, sed quandem resul-  
 tantiam, adeoque hîc non dari veram causalitatem. *Contra est*: ubi est verum ens distinctum ab aliis realiter, de-  
 bet dati vera causa, & causalitas. Alii admittunt, verè  
 causari. Sed à quo? aliqui ajunt, à termino. *Contra est*:  
 terminus sæpe toto orbe, imo toto cælo distat à funda-  
 mento: ergo, nisi detur actio in distans, in fundamento  
 nihil

nihil poterit producere. Alii dicunt in fundamento produci à fundamento, termino se habente ut conditione. *Contra est*: Nihil est in fundamento, quod ipsum determinet, terminus est remotissimus, nihil tribuit fundamento, multo minus in ipsum agit &c. Sed inconsequenter loquimur, cùm in homine præter corpus & animam admittimus modum. Nihil certè minus: nam modi tantum admittuntur propter indifferentiam tollendam: ergo ubi est indifferentia, sunt admittendi; ubi nulla est, sunt rejiciendi: atqui est indifferentia in corpore & anima ad esse unita; non est indifferentia ad relationem, positis fundamento, termino, & ratione fundandi: ergo. At saltem relatio est prædicamentum à reliquis distinctum. Resp. vel re, vel ratione; non semper re. Est accidens vel physicum, vel logicum; non semper physicum. Ad rationem fundandi resultat relatio intransitivè, non transitivè. Absolutum & respectivum sibi ita non opponuntur, ut ex entibus secundum se absolutis, si invicem comparentur, non possit componi aliquod relativum: opponuntur sibi tantum ut pars & totum. Amando dissimilitudinem inter bonos mores v. g. Petri, & malos Pauli, quidditativè, amares malos mores; secùs amando denominativè tantum: dicereris tamen simpliciter amare dissimilitudinem; quia simul cognosceres malos, & amor tuus ferretur in bonos præsupponentes malos. Crescente duplici albedine cum proportione crescit similitudo materialiter tantum, non formaliter. Vides igitur, quomodo sine modo superaddito omnia explicari possint. Sed audiatur adhuc S. Doctor, opus. c. 48. tract. 5. de prædicam. ad aliquid sic loquens: non est intelligendum, quod similitudo sortis (socratis) sit al queris in sorte alia ab ipsa albedine, ut se habet ad albedinem Platonis ut terminum: si enim similitudo adderet

*supra albedinem Sortis aliquam rem , nullo modo posset aliquis fieri alicui similis sine suâ mutatione , ut patet ; nam si quis in Indiâ fieret modò albus , fieret similis mihi , & ego illi , nullâ in me factâ mutatione ; similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem , quæ realiter est in me , ut patet . Ex quibus manifestè intelligitur , quod aliquid possit alteri fieri simile sine mutatione suâ intrinsecâ ; ut quoque patet in relationibus dexterî & sinistri , vidi & non vidi &c.*

Ex his autem D. Th. verbis minus rectè inferunt alii , relationem consistere in solo fundamento proximo , sive per illud intelligent fundamentum cum sua ratione fundandi , sive solam rationem fundandi ut se tenentem ex parte solidus fundamenti v.g. similitudinem Sortis cum Platone consistere in sola albedine Sortis . Nam S. Doctor ibitantum excludit entitatem superadditam fundamento , per quod non excludit albedinem B , tenentem se ex parte termini : quod ex eo patet ; quia subjungit , quod si illa entitas adderetur Sorti , is mutari deberet : sanè licet similitudo Sortis addat aliam rem in termino . minimè tamen per illam Sortes mutatur . At refelluntur hi AA. efficaciter ex regula partium ; solâ enim sublatâ albedine v.g. parietis B. tollitur relatio similitudinis : ergo albedo B est de essentia relationis inter parietem A. & B. Unde sequitur , existentiam parietis B. & albedinis , non esse sola connotata extrinseca . *Si dicant* , solâ sublatâ albedine parietis B. perire relationem *denominativę* , non *entitativę* acceptam ; fateantur saltem necesse est , albedinem B. esse de essentia relationis *denominativę* acceptae . Iterum si albedo B. sit de essentia totius *denominativi* , vel *relativi* ( ut vult P. Paulus Aler ) qualis erit pars ? non fundamentum , ut patet ; non terminus ; nam paries A. non denominatur similis albedini , sed parieti B. non applicatio ; quia hæc est unio  
con-

conjungens albedinem cum pariete: ergo debebit esse pars formæ denominantis. Unde albedo A est tantum ratio inadæquata, cur paries A referatur ad parietem B: & licet paries A per solam suam albedinem sit albus; non tamen per illam est *tam albus*, quam paries B, quia hæc denominatio dicit, & parietem A esse album, & parietem B esse album. Per solam suam albedinem paries A est comparabilis cum pariete albo B comparabilitate transcendentali, non prædicamentali; quia ad hoc requiritur, ut habeat talem albedinem, qualem habet alter paries, alias enim, si ponis parietem alterum nigrum, maneret comparabilis cum illo, adeoque haberetur relatio similitudinis. Dum Aristoteles ait, *totum esse relationis esse ad aliud*, potius loquitur de relativo, quam relatione, licet & hæc tota sit ad aliud *ut quo*: duplum autem in similitudine mutua realiter distinctam non reperies; tantum enim duplex est quoad modum nostrum concipiendi.

Illi igitur AA. essentiam relationis nimium coarctant; alii, qui eam physicè statuunt in fundamento, termino & ratione fundandi simul, sine causa confundunt formam denominantem cum toto denominativo. *Solis* sublati fundamento & termino, retinetur tota forma denominans in actu primo, licet non in actu secundo: ut in actu secundo denominet, ut actu referat unum ad aliud, ut habeatur actualis similitudo &c. nihil plus requiritur ex parte formæ, sed requiritur existentia subjectorum, applicatio formarum ad subjecta &c. Diligenter modo notanda distinctio inter relationem *formaliter* & *concrete* acceptam. Et non tardò adversariis proponendæ formæ in concretis absolutis v.g. *albedo actu denominans parietem album*. An hæc forma simul per parietem constituitur? nec tamen sine pariete actu denominat parietem album.

Hinc deducitur, relationem physicè consistere in sola & adæquata ratione fundandi; relatio enim nihil est aliud quam habitudo unius ad aliud, nexus fundamenti cum termino, comparabilitas fundamenti cum termino &c. que omnia in sola, & adæquata ratione fundandi consistunt; nihil siquidem aliud sunt, quam meum objectivum, cur unum referatur ad aliud; quale inter Dominum & Servum est conductio, inter causam & effectum actio, inter intellectum & objectum cognitionis, inter duos partes utriusque albedo &c. Accedit, quod sic essentia relationis statuatur in paucissimis, quantum fieri potest; quod amant Philosophi. Ubi fundamentum & terminus rationem fundandi sibi identificant (ut contingit inter duas v.g. albedines) relatio stat in fundamento & termino, non ut talibus, sed ut præcisè sunt ratio fundandi. Relatio paternitatis & filiationis formaliter spectata est quidem eadem *physicè*, non autem *denominative* & *logice*, cum generatio unum denominet patrem, alium filium: in concreto distinguuntur realiter; quia important diversos rectos: generatio, quando transit, transit quidem physicè, manet autem moraliter. At inquires: sic prædicamentum relationis & actionis non distinguuntur. *Physicè C. formaliter*, N. Actio dat causæ denominationem agentis præcisè: effectui denominationem dependentis à causa: utique denominationem relati ad invicem: & hæc ultima denominatione spectat ad prædicamentum relationis.

Ceterum relatio terminatur formaliter ad absolutum: hoc enim v.g. est terminus formalis similitudinis, cui fundamentum denominatur simile, hoc autem est quid absolutum; id enim, quod denominatur parieti A. simile in albedine, non est similitudo parietis B. ad parietem A. sed ipse paries B. Et vero cur saltem prius concipi non possit fundamentum referri ad terminum, quam terminus conci-

concipiatur referri ad fundamentum? pro illo autem priori habebitur relatio fundamenti ad terminum. Interroga Petrum, cuius sit filius: nunquid nugari censembitur respondens: *Sum filius mei patris.* Reponet igitur: *Sum filius v.g. Pauli.* At nunquid jam terminus exprimitur sub conceptu absoluto? Quamvis igitur terminus realiter loquendo saepe sit respectivus vicissim; hoc tamen ad relationem per accidens te habet. Quodlibet relativum formaliter terminatur ad suum correlativum, *speciativè*, non *reduplicativè* sumptum. Manent propterea relativa *simul natura*; quia relatio fundamenti ad terminum, & contrà, easdem prorsus causas habet: *simul cognitione*, hoc sensu, quod omnis cognitio fundamenti ut relati ad terminum, sit aliqua cognitio termini: *simul definitione*; non quod definitio unius sit definitio alterius; sed quod definitio unius sit aliqua representatio alterius. Unde hæ propositiones: *Pater ut pater respicit filium ut filium*, *pater ut generans refertur ad filium ut actu genitum*, factæ sunt, si reduplicent in filio præter ejus entitatem aliquid, quod sit formalis terminus paternitatis, aut generationis. Terminus est quidem alicujus terminus; sed tantum per relationem alicujus ad se, non per relationem sti ad aliud, vel per relationem oppositam relationi fundamenti. Si cum aliis vélis dicere, ad terminum formaliter relativum requiri, ut importetur in recto; facilè te omnibus expediens. Sed multum hic quæstionis de voce intercūfir.

## *Entis Possibilitas, Essentia, & Existentia.*

**E**ntis creati possibilitatem extrinsecam facile est reperire;

hæc enim cùm juxta D. Th. i. p. q. 25. a. 3. O habeantur

tur per respectum ad aliquid potentiam, atque ejusmodi poten-  
 tia sit Dei Omnipotentia, continens omnes effectus  
 creatos, in ea ipsa haec possibilitas statuenda est: adeoque  
 esse possibile extrinsecè est denominatio extrinseca. At pos-  
 sibilitatem intrinsecam non æquè omnes admittunt, con-  
 trarii in hoc S. Doctori, qui eam l.c. manifestè docet, de-  
 sumitque ex habitudine terminorum. Et ratio fundamen-  
 talis est haec: quia quoties terminus est attingibilis à poten-  
 tia, debet in termino relucere ratio, propter quam terminus  
 proportionetur potentia; sic cognitio non potest at-  
 tingere objectum, nisi sit intrinsecè cognoscibile, nec vi-  
 sio, nisi sit intrinsecè visibile: ergo & possibilitas extrinse-  
 ca debet terminari ad aliquid intrinsecè possibile. Deinde  
 Deus habet possibilitatem intrinsecam, ideo, quia habet  
 aptitudinem ad existendum: atqui hoc etiam habent entia  
 creata: ergo. Iterum creaturæ ex sua intrinseca natura  
 sunt ens: ergo ex sua natura sunt apta existere: ergo sic  
 etiam sunt possibles; quia esse aptum existere, & esse pos-  
 sibile idem sunt. Denique Deus est omnipotens: sed dic  
 mihi, quare: sane ideo, quia potest producere omnia  
 possibilia. Jam quero, vel est ideo omnipotens, quia  
 potest producere omnia possibilia intrinsecè; vel quia po-  
 test producere omnia possibilia extrinsecè? Si primum,  
 ergo res habent possibilitatem intrinsecam. Si secundum,  
 ergo est ideo omnipotens, quia potest producere omnia,  
 quæ potest producere; quod est nugari; imò tunc Petrus  
 etiam esset omnipotens, quia potest producere omnia,  
 quæ potest producere. Atque haec ratio fundata est in D.  
 Th. l.c. Unde ibid. subdit: relinquitur igitur, quid Deus  
 sit omnipotens, quia potest omnia possibilia absolute. Nec  
 inde sequitur, Omnipotentiam Dei non fore potentiam  
 adæquatam productivam rerum; quia possibilitas intrinse-  
 ca requiritur tantum per modum termini: haec possibilitas  
 neque

neque est prior neque posterior Omnipotentiâ, si dependentiam, aut independentiam intelligas; quia *actu* nihil est (differt tamen adhuc à chymæra, quia haec actu nihil est, & simul nunquam aliquid esse potest) In alio sensu dici potest ratione prior Omnipotentiâ; quia bona videtur hæc causalis: *ideo res potest produci, quia est intrinsecè possibilis.* Possibilitas extrinseca eadem est cum producibili-  
tate extrinseca; non universaliter intrinseca cum produci-  
bilitate intrinseca; nam Deus intrinsecè est possibilis, non producibilis. *Producere & producere*, sicut *cognosci & co-*  
*gnoscere*, habentur per eandem formam; quia sunt deno-  
minationes accidentales: secus posse producere, & posse  
producere; quia sunt denominationes intrinsecæ, sicut posse  
cognoscere, & posse cognosci. Possibilitas itaque intrinseca  
iphi enti est identificata; quia est ipsa habitudo termino-  
rum, vel ipsa non repugnantia positiva prædicatorum, vel  
aptitudo ad existendum: atque ita conformiter loquendum  
est de impossibilitate intrinseca chymæra, quæ consistit in  
ipsis prædicatis repugnantibus. *Nec hinc inferas, chy-*  
*maram fore possibilem:* nam hoc tantum possibile est,  
cujus impossibilitas est impossibilis, eò quod impossibili-  
tas distinguatur à re; quod convenit solis entibus realibus:  
quod verò impossibilitatem suam sibi habet identificatam,  
& cuius ex eo capite impossibilitas est impossibilis, suam  
impossibilitatem confirmat, & convenit soli chymæra.

Quæritur nunc, non quidem, an possibile ab æterno  
fuerit possibile; hoc enim certum est; neque an possibile  
ab æterno habeat esse intrinsecum simpliciter dictum, vel  
*existentialē;* de fide enim est, nihil exitisse ab æterno  
præter Deum: sed an ab æterno habeat aliquod esse, non  
per creationem acceptum, sed præsuppositum, quod vo-  
cant esse *essentialē*, & *quidditatīvum*, realiter distinctum,  
ac separabile ab esse reali existentiali, ut voluit Thomistæ.

vel

vel an accipiant ab Intellectu Divino cognoscente quoddam  
 esse intelligibile *absolutum & intrinsecum*, medium inter esse  
 reale & rationis, quod Scotistæ vocant *ens diminutum*.  
 Verum in priore sententia creatura ab æterno videtur habere  
 existentiam; nam existere nihil aliud est, quam esse in-  
 trinsecum actuale habere, cum existentia sit intrinseca  
 actualitas essentiæ. Dein si creatura ab æterno esse intrin-  
 secum haberet, ab æterno tolleret suï negationem: ergo  
 existeret; tollere enim negationem suï, est existere. Ma-  
 gis hæc urgent Scotistas, qui essentiam cum existentia  
 identificant; sic enim ubique ponitur essentia, etiam  
 poni debet existentia. Quid ergo est, quod illud esse ap-  
 pellen *diminutum*, & non *reale*, si esse est intrinsecum  
 tum essentiæ, tum existentiæ? quid enim aliud facit crea-  
 tio, quam ponere effectum in esse intrinseco tum quiddi-  
 tativo, tum existentiali? Si dicas, per creationem rem po-  
 ni extra Deum, ens diminutum verò tantum dari intra in-  
 tellectum Divinum. Contra est: si τὸ extra appellet locum,  
 evidenter falsum est: si entitatem à Deo distinctam,  
 etiam ens diminutum est extra Deum, utpote à Deo di-  
 stinctum. Cum essentiæ rerum terminent ab æterno co-  
 gnitionem Dei, habent quidem ab æterno aliquid esse,  
 sed cognoscibile tantum per denominationem extrinsecam  
 atque actuali Cognitione Divina derivatam, non verò dimi-  
 nutum & reale. Sic etiam homo ab æterno cognoscitur  
 esse animal; si τὸ esse sumatur sine statu; securus, si cum statu.  
 Adde: ideo creaturæ haberent aliquid esse actuale  
 esse intiæ ab æterno, quia sunt ab æterno possibles: atqui  
 existentia etiam est ab æterno possibilis: ergo. Non igitur  
 requiritur ab æterno aliquid actuale, quod rem for-  
 ma liter constituat in esse possibilis. Creatura pure possi-  
 biles actu omnino nihil est *physicæ*; sed erit aliquid phy-  
 sicæ, si producatur: unde Anti-Christus de facto non  
 est

est *actu* possibilis ; quia physicè non datur ipsius possibilis : nec tamen ideo erit *actu* impossibilis ; nam licet *inter possibile & impossibile simpliciter* non detur medium ; datur tamen *inter possibile actu & impossibile actu* ; quia datur possibile non existens *actu*. Sed inquires : ergo Anti-Christus solum erit in potentiam ad suam possibilitatem. R. ad actualeni. & ut absolutè & physicè sibi convenientem, C. ut convenientem logicè , & quoad necessitatem illationis, N. nunquam enim fuit purè possibile v. g. *ut, si Anti-Christus existeret, ipsius prædicta non repugnarent* ; est tamen purè possibile, ut ipsius prædicta *actu* existentia non repugnet. Dum dicitur *Anti-Christus habere potentiam ad existendum*, est solum subjectum denominationis, Logicum, prædicationis, vel, ut loquitur D.Th., secundum imaginationem ; ad hoc autem non requiritur, ut habeat aliquod esse, ut patet in hac : *Adam est preteritus.* Aliud est de subjecto physico ; quale etiam requiritur præexistens ad mutationem strictè dictam ; non ad mutationem minus strictam, qualis est creatio. Propositiones possibilitem enuntiantes, sunt tantum necessariæ secundum quid, negative, & ex suppositione, sive quoad connexionem predicati cum subjecto (necessarium absolute, positive, & quoad existentiam soli Deo convenit) unde faciunt sensum conditionalem, vel negative explicande sunt v. g. *si Anti-Christus exsistit; prædicta ipsius non involvunt contradictionem*, vel nunquam in illius prædicatis dabitur contradictione. Et hoc sensu propositiones tantum dicuntur esse æternæ veritatis. Propositiones contingentes juxta veram Dialetticam semper significant statum : unde conditionata expositio vera ipsarum expositio non est. Neque sequitur ex his, quod prædicata necessaria non differant à contingentibus : nam necessaria convenient ex sola suppositione, quod res sit ; secundus contingentia.

Alii

Alii cum P. Ribadeneira & Ayleworth confugiant ad attributa necessaria Dei, volūntque ea esse possibilitatem immediatam, formalem, & proximā cujusque entis: ea esse possibilitatem remotam, & illativam, in competo est, quia attributa illa per se ab intrinseco sunt connexa metaphysicē cum possibilitate formalī & immediata Petri v.g. Deus cognoscit Petrum possibilem, ergo metaphysicē intertutur Petrum esse possibilem: quod si quis observaverit, deprehendet, plurima ex argumentis horum AA. aliud nihil probare. Ceterum absurditas hujus sententiae colligitur ex eo, quod pari jure malitia formalis mendacii, animalitas, humanitas &c. statui debeat in attributis necessariis Dei: ideo enim illi hoc dicunt de possibiliitate, quia hæc semper & necessariò debet existere, & ideo quidem, quia semper, ac necessariò verificat hunc actum: *Si Petrus existaret, non involveret duo contradictiones:* at malitia formalis etiam semper & necessariò verificat hunc actum: *si mendacium libere eliciatur contra conscientiam, erit malum:* ergo quidquid responderint, applicari potest huic propositioni, & his: *Petrus est animal, homo;* quia quā præpoteret prior vera est, eadem etiam illæ. Nec juvat AA. illos distinctionem in possibilitatem *subjectivè necessariam*, quam *primariam* dicunt, identificantque cum attributis necessariis Dei; & *subjectivè contingentem*, quam *secundariam* dicunt, identificantque cum attributis rei possibilis: nam si de possibiliitate *illativa* sermo est, conceditur, quod ea sit *subjectivè necessaria*; sed hoc ad rem non facit: si de *formali*, duplex pariter statuenda est malitia formalis mendacii, duplex *animalitas*; ideo enim illa distinctione solùm inventa est, ut aptum inveniatur propositionis necessariae verificativum; propositio autem de mendacio facta & que est necessaria. Sed quid multa? Sufficit possibilitas illa *subjectivè contingens* ad hanc verificandam: *Ani-*  
*Christus*

*Christus est possibilis*; ideo enim non sufficeret, quia propositio non posset esse propriè vera, nisi absolute existeret verificativum: at hoc falso est; tūm quia subjectum est propriè possibile, quod non existit; subjectum enim esse possibile, non importat actualem existentiam subjecti: tūm quia plures denominationes v.g. Senis, Mariti, Religiosi, Imperatoris, præteriti &c. propriè veræ sunt, licet physicè non dentur earum formæ: ergo à pari. Ratio horum à priori est natura & qualitas denominationum; aliae enim sicut modò subjectum requirunt existens, modò non, modò præscindunt; sic aliae modò requirunt verificativum objectivum physicè existens, modò non, modò inadæquatè tantùm. Cùm igitur dicta propositio non enuntiet, possibilitatem Anti-Christi actu physicè existere, sed non dandam contradictionem in prædicatis, si existet, non requiritur verificativum objectivum actu existens. *Observa*, aliud esse deficere verificativum hujus actus: *Anti-Christus non est possibilis*; aliud dari defectum verificativi in phrasí Ribad. *Primum* est verum; *secundum* est falso, nec infertur ex primo; nam dari defectum verificativi per Ribadeneiram est, verificativum immediatum actus contrarii actu & physicè dari; quod falso est: hoc enim verificativum est *positiva non oppositio prædicatorum*, quæ cùm identificetur cum ipsis prædicatis, constat illam de facto non dari: paritatem habes in denominationibus aliis suprà allatis. Deficere unum contradictionum est existere alterum hoc sensu, quòd, quando una contradictionia est falsa, altera debeat esse vera: omne verificativum propositionis debet existere pro tempore per copulam importato; non semper de præsenti *in esse rei*, licet saltem *in esse veri*. Atque ita explicandum illud Aristotelis: *omne esse secundum quid, reducitur ad aliquid simpliciter*, non scilicet, quòd de facto sit, sed quòd sit pro tempore à propositione enunciato.

Ex dictis jam sequitur, possibilitem intrinsecam reponendam esse cum D. Th. in ipsa habitudine prædicatorum non involventium contradictionem. Ex quo ratio asserti desumitur: hic 1. p. q. 46. a. 1. ad. 1. assertâ possibilitate extrinsecâ mundi, dicit, præterea fuisse possibilem, secundum quod dicitur *aliquid absolute possibile, non secundum aliquam potentiam*, sed ex sola habitudine terminorum: secundum quod (subjungit) possibile opponitur impossibili, ut patet per Philosophum 5. Metaph. Unde sic: essentialis differentia possibilis ab impossibili est possibilitas: sed habitudo prædicatorum non involventium contradictionem est essentialis differentia possibilis ab impossibili: ergo. Maj. certa est. Min. est D. Th.; nam dicta habitudo est *id*, secundum quod possibile opponitur impossibili; quod sane idem est, atque esse differentiam essentialiem possibilis ab impossibili. Refugiunt aliqui explicationem possibilitatis conditionatam v.g. *possibilitas est talis rei natura, quæ, si existat, non trahat contradictionem.* 1. quia Anti-Christus est quid absolutum. 2. possibilitas foret contingens. 3. chimæra foret possibile. At vanus hic timor est; manet enim Anti-Christus quid absolutum; quia est absolute possibile: ex quo non sequitur, possibilitem malè exponi per propositionem conditionatam. Deinde illud conditionatum existere est conditio merè intrinseca, adcōque non reddit possibilitem contingentem: At licet existentia sit quid contingens, connexio tamen prædicti cum subiecto est necessaria. *Tertium fallum est.* Dices: ille conceptus conveniret huic complexo: *Petrus non Petrus*; si enim existeret, existeret Petrus verus & realis, qui componit illam chimæram. At simili arguento probabis, conceptum hominis per omnes admissum esse illegitimum; fingi enim potest hæc chimæra: *homo-equus*, & simile argu-

argumentum instaurari. Existeret igitur tantum Petrus realis *signatè* talis; identificatus enim cum sua carentia est *exercitè* quid impossibile. Ceterum necesse non est, possibilitatem explicari conditionatè, cum optimè exponatur absolutè v.g. *Anti-Christus est potens, apud existere; possiblitas est aptitudo ad excludendam suū carentiam; est habbitudo terminorum; possibile est, quod nec involvit, nec infert contradictionia &c.*

Atque ex his omnibus *infertur*, possibilitatem intrinsecam identificari cum rei entitate & existentia: quia est ipsa rei entitas, utpote consistens in praedicatis ipsis rei: sed entitas rei non distinguitur realiter à sua existentia, ut statim dicetur: ergo. Ratio præterea dari potest, per quam omnia terè argumenta solvuntur. Quia omnia, quæ verè affirmantur, vel negantur de possibilitate & essentia conditionata, in eodem sensu & terminorum acceptione verè affirmantur vel negantur de existentia & essentia absolutis: propositiones enim enunciantes de possibilitate necessitatem, indefectibilitatem, aeternitatem, vel habent modum tendendi absolutum, vel conditionatum? Si *primum*; tam falsæ sunt, dum procedunt de possibilitate, quam si procederent de essentia & existentia absoluta; sicut enim fieri potest, ut non detur in rebus existentia, sic etiam potest non dari possibilitas. Si *secundum*; tam veræ sunt de existentia absoluta, quam de possibilitate. Ex quibus vides, si pariformiter sumantur, nullam distinctionem realem induci posse. Sed explicatio propositionum rem claram faciet. Enunciantes de possibilitate necessitatem &c. tantum enunciant, *nunquam extuisse, existere, aut existere posse contradictionem in praedicatis rei.* Quæ contingentiam &c. de existentia; præcisè enunciant *carentiam rei aliquando extuisse, existere, aut existere posse.* Jam verò ex his tantum infertur, diversas esse propositiones, &

carentiam rei non esse contradictionem rei , non verò possibilitatem distingui ab existentia.

Explicatio autem hæc ad conceptum metaphysicum terminorum facta est ; nam Anti-Christum esse possibilem , stat formaliter in eo , quod sua prædicata sibi non adversentur : ergo esse necessarium , quod Anti-Christus sit possibilis , est esse necessarium , quod nunquam extiterit , aut extitura sit contradictione in prædicatis . Atque hæc viâ apparentes contradictiones omnes facile evitabis . Carentiam autem Petri , & oppositionem in illius prædicatis , non esse idem , constat ; quia alias , si moreretur Petrus , foret impossibilis . Oppositorio in prædicatis est contradictorium conditionatum possibilis & existentiae ; carentia est contradictorium absolutum utriusque : unde cum possibilis & existentia sint realiter idem , habent idem contradictorium vel absolutum , vel conditionatum ; non verò contradictorium conditionatum unius est contradictorium absolutum alterius . Item quo modo res est possibilis , eo modo semper est existens : ex quo non sequitur , quod , quoties verum est , rem esse possibilem , etiam verum sit , rem esse existentem ; nam ad veritatem requiritur actus & objectum : cum igitur actus prior sit conditionatus , alter absolutus , patet esse actus diversos ; ex quibus tamen non infertur diversitas objecti : circa idem enim objectum possunt versari diversi modi tendendi . Tenet hæc argumentatio : subiectum esse hominem , est illud esse rationale : ergo quoties verum est , esse hominem , toties verum est esse rationale ; quia non tantum homo & rationale sunt idem , sed etiam modus tendendi utriusque actus : secus fit in nostra materia .

Ex eodem capite admittenda non est cum Thomistis distinctio realis inter essentiam , & existentiam creatam :

si

si enim ea pariformiter , utramque possibilem , vel utramque actualē sumas , quod de unā dixetis in sensu positivo , vel negativo , de alterā quoque dicere poteris . Accedit , quod existentia nil aliud sit , quam id , per quod res formaliter ponitur extra causas , & in actu secundo excluditur rei negatio : hoc autem realiter est ipsa rei essentia ; nam hæc est , quæ formaliter tollit negationem suū . Deinde existentia ipsa etiam habet suam essentiam : aut ergo hæc per se ipsam existit , aut per distinctam existentiam . *Primum* destruit fundamen-  
tum Thomistarum . *Secundum* trahit processum in infi-  
nitum . Iterum sicut essentia est indifferens ad existen-  
dum , sic etiam existentia ad esse & non esse ; quia est  
contingens : ergo etiam ipsa existentia indigebit existen-  
tiā distinctā . Denique defectibilitas essentiæ non arguit  
existentiam distinctam ; quia & essentia defectibilis est ,  
cùm possit amittere actualitatem suam : si ergo , hoc  
non obstante , sit per se actualis quoad essentiam , pot-  
erit etiam per se esse actualis quoad existentiam : præ-  
terea existentia etiam defectibilis est . Nec *obstat* ,  
quod ajunt Thomistæ ; *existentiam esse rationem forma-*  
*lem quā existendi* , adeoque non indigere existentiā di-  
stinctā , sicut ubicatio , duratio &c. non indigent novā  
ubicatione &c. distinctā , quia sunt ratio formalis ubi-  
candi &c. præterquam , quod ad hoc facile respondeatur ,  
cùm ubicatio non sit indifferens , ut sit in hoc loco ;  
duratio , ut sit in hoc tempore &c. existentia autem v.g.  
Anti-Christi sit indifferens ad esse , & non esse : hanc  
responsum Doctrina Angelici imbecillem reddit , quā  
utitur i.p.q. 11. a. 1. ad 1. contra Avicennam , qui ra-  
tionem unius distinguit realiter ab ente . Sed hoc , in-  
quit S. Doctor , manifestè falsum est , quia qualibet res  
est una per suam substantiam ; si enim per aliquid aliud

esset una quælibet res, cùm illud iterum sit unum per ali-  
 quid aliud, esset abire in infinitum. Nonquid huic do-  
 ctrinæ per rationem formalem quæ unificandi facile quis  
 occurrere posset? vel ergo doctrina Angelici nulla est,  
 vel nulla responsio Thomistarum: absit primum; teneat-  
 tur ergo secundum. Licet autem creatura sic existat  
 per suam essentiam; aliter tamen existit, quæ DEUS:  
 hic enim per essentiam indefectibilem existit, illa per  
 defectibilem, & dependentem ab alio, & hoc est,  
 quod SS. PP. volunt, dicentes Deo esse proprium,  
 quod sit sibi suum esse. Tota autem creaturæ indiffe-  
 rentia ( si qua propriè est ) ad esse & non esse, est merè  
*Logica*, & *objectiva*, in quantum potest finè repugnan-  
 tiā verificare successivè, quod sit, & quod non sit.  
 Actus irreceptus tūm in aliquo, tām ab aliquo, est purus  
 actus, conveniens soli Deo; non tamen, si sit receptus  
 ab aliquo, licet non sit receptus in aliquo: esse recep-  
 ptum in alio tanquam in subjecto, est quidem aliquod  
 signum limitationis; tamen indè solum non potest peti  
 limitatio, nam etiam hæc habetur à causâ efficiente.  
 Dum Goudin ait, D. Th. optimè dicere, *actus irre-  
 ceptum* ( intelligit, *irreceptum in subjecto* ) *esse unicum &*  
*infinitum*. *Quod principium*, inquit, *D. Th.* ita cer-  
 tum habuit, ut videatur illud accepisse ab Angelis, ideo-  
 que perpetuò tanquam evidētissimum inculcat. Si vellet,  
 hoc principium esse probabile ex tanti Doctoris autho-  
 ritate, jure fanè id vellet; sed cùm fallat in actu essen-  
 tiæ &c., frustra tanquam evidens inculcatur. At exi-  
 stentia est *ultimus actus*. Imò est unicus in linea entis.  
 Quinam enim sunt anteriores? *actus essentie*, inquis.  
 Sed non vides, assumere te id ipsum, quod est in qua-  
 stione? Conantur aliqui explicare D. Thomam, dum  
 in creatis *esse*, id est, existentiam ab essentiâ distinguit;  
 quod

quod scilicet accipiat rō esse causaliter : sed hoc labore nos abstinemus. Videatur P. Ulloa *in prodomo* D. 7. c. 1. §. 2. ubi locum S. Thomae ex 1. p. q. 3. ad 3. fusē & valde probabiliter pro nostrā & suā sententiā interpretatur.

## *Ens impossibile & negativum.*

**S**uperest nunc, ut possibilitas & existentia ulterius innotescant ab opposito, quod est possibilitati impossibilitas, existentiae negatio.

*Impossibile* distinctum ab omni possibili posse cognosci, negant cum Aylewort, & Ulloa alii, volentes, ens rationis nihil aliud esse, quam ens reale, vel entia realia; prout substant cognitioni essentialiter falsæ, per quam *intrinsecè* identificata *intentionaliter* & *extrinsecè* separantur, vel realiter distincta *extrinsecè* identificantur. Sed communior contrarium sentit, docens, dari ens rationis objectivum tantum, sive distinctum ab omni ente reali, quod sit objectum intellectus nostri: fundaturque hæc opinio in principiis de objecto judicii; hæc enim cognitio v.g. *hircus est cervus*, attingit ex parte objecti identitatem; identitas enim est objectum dictæ cognitionis; prædicatum namque & subjectum secundum se non sunt objectum: alias judicium illud verum esset. Cognitioni universalificanti, disjunctivæ, copulativæ non correspondet ex parte objecti unitas, disjunction, copulatio: quia imprimis quare cognitionis universalificans non repræsentet unitatem intrinsecam, dictum est de

universalibus ; deinde objecta sunt indifferentia ad copulationem vel disjunctionem. Cognitio vero, dicens, *hircum esse cervum* signatè pro objecto habet identitatem inter hircum & cervum : atqui se ipsam non habet pro objecto : ergo non est illa identitas. Accedit, quod plurimæ propositiones tortè omnino explicitentur ab his AA., accipiamus unam, prolatam v.g. ab ipso Deo: *non datur alter Deus præter me*, illa hanc torturam subire debet : *judicium creatum, uniens me extrinsecè cum alio, non potest esse verum.* Idem esto judicium de aliis. Sed cur alias etiam ita non explicant v.g. *homo est animal*, ut sensus sit, *judicium uniens hominem cum animali est essentialiter verum?* Qui volunt, præter extrema possibilia cognosci identitatem aliquam realem, per cognitionem indebet applicatam ; admittant, dari totum hirco-cervum, necesse est ; quia datur hircus & cervus, & etiam illa identitas. Si dicant, non dari illam identitatem intrinsecè inter hircum & cervum. *Infero* : ergo concepta ut intrinsecè intercedens est aliquod impossibile. Sed age, quando negas, posse cognosci impossibile, vel cognoscis, quod negas posse cognosci, vel non ? si *primum* ; ergo datur cognoscibile distinctum ab omni possibili. Si *secundum* ; imprudenter negas. *Nec revertreas* quando dicas, *incognoscibile* non potest cognosci &c. Nam incognoscibile signatè tale potest exercitè cognosci : incognoscibile exercitè tale nequit dari. Unde quando dicas aliquid esse incognoscibile, illud exercitè cognoscis ; quia eo ipso, quod tu dicas esse incognoscibile, est objectum tui intellectus, licet affirmando incognoscibilitatem, exercitè concipias chimæram, habentem identificata duo hæc prædicata : *incognoscibile & cognoscibile.* Nec propterea, dum dico : *impossibile*, exercitè cognosco aliquid possibile : nam probandum est

Ad-

Adversariis, quod possilitas requiratur ad hoc, ut objectum possit cognosci; sicut requiritur cognoscibilitas. Neque ex hoc, quod impossibile sit cognoscibile, inferatur, quod sit ens reale: non enim potest cognosci per species proprias, nec per se ipsum causare aliquam cognitionem, ut facere potest ens reale: species autem alienæ licet sint reales, decerpitæ ab ente reali, adeoque proportio entitativa cum ente impossibili desideretur, sunt tamen proportionatae in representando; sic species rei creatæ & materialis deservire potest ad cognoscendum ens increatum & spirituale. Ex quibus concludes, cognoscibilitatem vel veritatem supertranscendentalem convenire impossibili, non transcendentali: adeoque non potest esse objectum physicè motivum, sed terminativum tantum. Impossibile v.g. hirco-cervus constat prædicatis se mutuo destruentibus à parte rei; quia si significatum hujus vocis daretur à parte rei; jam daretur *hircus non hircus*, *cervus non cervus*, & hoc ipsum intellectus cognoscit: adeoque non constat prædicatis *intentionaliter* se destruentibus, id est, quod simul cognoscatur & non cognoscatur. Sed petes, *ens rationis* qualis sit denominatio? Resp. si per illud intelligis totum constitutum ex prædicatis repugnantibus, est denominatio *adæquate intrinseca*: *extrinseca*, si intelligis impossibile actu objectivè existens in intellectu, sic includit cognitionem, quæ est existentia extrinseca impossibilis: finē illa ens rationis habet quidem esse cognoscibile, non objectivum & actu tale: atqui ita ens rationis est denominatio extrinseca, at non denominans res possibles, sed aliquod impossibile. Petes iterum, an extrema in hoc iudicio: *Petrus est lapis*, sint realia, vel ficta? Resp. esse signatae realia, & exercitè ficta; quia exercitè transeunt in identitatem fictam; quæ cùm sit

adæquatè impossibilis, per aliquid possibile constitui non potest. Atque *Petrus & lapis*, qui seorsim sumpti sunt aliquid reale, conjuncti fiunt aliquid factum; mutantque suam essentiam, non quidem in esse reali, sed objective; quia fiunt de distincto indistinctum, de alio non aliud. Juxta Aristotelem non potest intelligi, *quid rei* sit tragelaphus; potest autem, *quid objecti* sit. Quando D. Thom. dicit, *impossibilia non cadere in intellectum, cùm sibi ipsis repugnant*, intelligendis est, quod non cadant in intellectum per species proprias; quod enim cognoscit possint, constat ex verbis, quæ subdit: *nisi forte per errorum non intelligentis rerum proprietatem.*

Intellectus igitur noster facere potest ens rationis: Sed an etiam divinus? negant Thomistæ, quia putant, semper fictionem ex parte intellectus intercedere. At cùm facere ens rationis, sit cognoscere impossibile; id autem fieri possit sive fictione tenente se ex parte intellectus divini; non est, cur haec fabrica Deo negetur. Facit autem & indirectè, & directè. *Indirectè* quidem dum nostram cognitionem cognoscit, quia sic in illâ ejus quoque cognoscit objectum, quod sape impossibile est. *Directè*, dum cognoscit ipsum impossibile directè & immediatè in se; hoc enim cùm cognoscibile sit, divinam cognitionem fugere non potest. *Primus* modus cognoscendi, utpote abstractus, videtur Patri Suarez & aliis invehere in Deum imperfectionem: sed cùm illa eadem cognitione simul realiter sit intuitiva objecti in se, & cognoscitiva rei in alio, omnem à se imperfectionem removet, & tantum præbet intellectui fundatum sub diversâ formalitate eam concipiendi. *Alter* modus sine omni fictione haberi potest:

nam

nam licet DEUS necessariò cognoscat omne objectum meæ cognitionis, non tamen semper affirmat, ut ego affirmo: DEUS cognoscit modum meæ cognitionis, qui modus cognoscendi non est in ipsâ cognitione diuinâ: propter perfectionem sui intellectus omnia cognoscit, ut sunt in se ipsis, sive per errorem, sive ignorantiam nostram producta sint; manet interim intellectus diuinus liber ab omni errore & ignorantia. Hæc duo distinguenda sunt: ~~cognoscere objectum factum, & singere objectum~~ <sup>1</sup> in unum Deus convenit; non <sup>2</sup> in unum. Ens rationis est quidem semper aliquid factum objectivè, & in se; non propterea necessariò sit per actum singularem & erroneum. Si nequeat facere ens rationis affirmando, faciat negando v. g. non datur alter DEUS prater me, hucus non est cervus.

Ii, qui negant impossibile distinctum ab omni possibili, communiter rejiciunt negationes ab actu intellectus, aut alio positivo distinctas; qui, rejecto impossibili, negationes admittunt, edicant, cur impossibile non possit cognosci, si cognosci possint negationes? Contra alios sunt Aristoteles & D. Th., qui negationes passim nuncupant *non entia*. Sed ut procedamus ordinatius, distinguendum est inter negationes contingentes & necessarias: hæ formaliter contradictoriè excludunt impossibile; illæ rem contingentem. Dico formaliter; negatio enim radicalis mediata tantum & exigitive excludit existentiam rei. De solâ formaliter & objectiva quæstio est, quam diximus esse verificativum propositionis negativæ; negatio enim intentionalis est ipsa propositio mentalis. Quod jam concernit negationes contingentes, has esse purum nihil, seu non esse rei exclusa, clarè docet S. Aug. c. 4. de Gen. contra Manich. scribens: ubi lux non est, tenebrae sunt, non quia aliquid sunt tenebrae; sed quia

*lucis absentia tenebra dicuntur.* D. Th. & Arist., ubi negationes videntur statuere in positivo , intelligendi sunt de negatione radicali & causali.

*Ratio autem nostra est ;* quia negationes formaliter contradictriorie opponuntur rei exclusae ; & talis oppositio tantum datur inter ens positivum & negativum, ita ut positio unius sit formalis sublatio alterius, & contraria. Qui negationibus attribuunt esse abusivum, non volunt quod illud esse negationibus attributum à parte rei ipsiis competit; sed tantum ex quodam abusu intellectus , eas apprehendentis ad modum formæ realis. Hinc 1<sup>o</sup> negationes à parte rei non sunt ipsæ res possibiles; alias in pleno meridie essent tenebrae. *At inquis* , tenebras esse lucem purem possibilem. Rogo ego : quid r<sup>o</sup> pure superaddit? *Si aī* cum aliis , negationes esse ipsas res possibiles connotantes propositionem de se negativam. *Contrā est* : præscindendo ab omni propositione negativâ Anti-Christus non existit : ergo antecedenter ad illam propositionem debet esse forma, à quâ denominetur non existens. Item non ideo Anti-Christus non existit, quia ego nego eum existere, sed ideo ego hoc verè nego; quia non existit. *Hinc 2<sup>o</sup>*, negatio non est entitas aliqua positiva vel modalis essentialiter incompossibilis cum re negata : nam negationes contingentes sunt ab æterno; nulla autem entitas positiva creata. *Si recurris* ad decretum Dei nolentis rem esse. *Contrā est*: hæc est exclusio tantum mediata, causalis, & radicalis; sicut decretum Dei de producendo Anti-Christo non est formalis Anti-Christi existentia. Dein si nullum decretum existeret, nulla daretur creatura; & tamen datetur illius negatio. Quidquid hi AA objiciunt, facile solvit per distinctionem jam insinuatam : item verificativum, quod exigunt harum & similiūm propositionum: *Anti-Christus jam non est, negatio Anti-Christi datur* ( quanquam nonnisi impropiè in hâc mate-

materiā hic terminus, *datur*, usurpetur) existit semper in esse veri; non requiritur, ut existat in esse rei, vel physicè: & quamvis hæc denominationes sint reales, prout *in reale* opponitur *fictio*, non tamen ita, prout opponitur *enim negativo*, quasi sint adæquatè reales & positivæ. Proprietates entis negationibus impropriè tantum convenient, nimirum in ordine ad illos terminos, quos excludunt: ubi hoc simul NB, quod diversitas tota negationum, sive numerica, sive specifica defumatur à diversitate rei exclusæ; cum enim in eo solùm sita sit earum essentia, ut aliud nihil sint, quam remotiones formarum, pari cum iis passu procedunt, & sicut esse, ita & distinctas esse, ex proportione ad formas accipiunt. Cum David tenebras ad DEUM laudandum invitat, cupit ut hominibus sint occasio laudandi DEUM: in tantum autem dicitur DEUS creare tenebras, quatenus suspendit concursus lucis conservativum; & quò magis subducitur lux, eò magis intenduntur tenebrae; sed omnia impropriè. Sic etiam *metaphorice* dicuntur palpabiles, vel etiam *causaliter*, id est, pro crassis vaporibus & nubibus, lucem impedientibus. Dum v. g. *cæcitas* affirmatur de homine, affirmatur quidem de illo *purum nihilum*, sed NB. *Visus*: & hæc tantum superaddit aliquid negativum homini, & aliquid positivum tollit: unde ratio formalis cæcitatæ nihil est in esse rei, sed tantum in esse veri. *Quæres*: an negatio hodiernæ durationis, quæ heri fuit, fuerit necessaria, vel contingens? R. Quod eadem fuerit heri necessaria pro heri, & pro hodie sit contingens: hinc eadem negatio durationis hodiernæ pro hodie est negatio chimærae pro heri, & non pro hodie, & est sublata pro hodie, & non pro heri. Hoc denique *observa* clarius in hac materiā procedi, si propositiones, quæ videntur affirmativæ, in negativas refolvantur; quæ licet pro materiali non habeant negationem; habeat tamen pro formalī & verificativō.

Pari-

Pariformiter loquendum de negationibus necessariis ,  
 pro quibus eadem pugnat ratio; quia sunt formalis & con-  
 tradictoria exclusio rei impossibilis. Unde ipsa Dei es-  
 sentia non est negatio necessaria rerum impossibilium ;  
 nam sublatâ Dei essentiâ non ponitur formaliter v. g.  
**Hircocervus**; & illo posito non tollitur DEUS, nisi *con-  
 sequentè*, hinc *radicaliter* tantum rem impossibilem ex-  
 cludit. Summa perfectio non excluditur formaliter con-  
 tradictoriè per summam imperfectionem; uti enim sum-  
 mus calor excluditur formaliter & contradictoriè per  
*negationem* summi caloris; mediatè autem & radicali-  
 ter per summum frigus : sic etiam hīc. DEUS ratione  
*sua* sanctitatis per suam essentiam caret omni peccato  
*radicaliter* & *exigitivè*, non formaliter quia formaliter  
*peccatum* divinum excluditur per *non esse necessarium*  
*peccati*. Alter DEUS excludit tantum unicitatem Dei for-  
 maliter, sumptam secundūm hoc , quod dicit in obli-  
 quo , nimirū *negationem* plurium. Impossibile non  
 est quidem revera aliquid positivum, concipitur tamen  
 à nobis per modum positivi. Atque hæc intelligenda  
 sunt tām de negationibus necessariis impossibilium coa-  
 lescientium ex duobus extremis positivis, quām ex duo-  
 bus explicitè & formaliter contradictoriis: hæc enim per  
 distinctam negationem excludi , eadem suadet ratio.  
 Sunt , qui volunt, hoc complexum : *hircus-non-hircus*,  
 formaliter excludi per hoc disjunctum, vel per existen-  
 tiā hirci realis, vel per negationem hirci ; hæc enim,  
 inquiunt, existens in esse veri , impedit formaliter ex-  
 istentiam hirci; ille, existens in esse rei, formaliter im-  
 pedit negationem hirci. Sed imprimis negatur, hircum  
 quemcunque possibilem , & quamcunque negationem  
 hirci esse partes illius complexi ; sed hircum identifica-  
 tu m negationi hirci, & contrā ; atqui hæc partes modò

non

non dantur: ergò. Deinde quæcunque pars hujus complexi non excludit tantum *hircum-non-hircum*; sed simul illum ponit. *Si putes*, hoc complexum non posse excludi per aliquid adæquatè negativum; eò quod sit partim positivum, partim negativum: sciendum, hoc fieri posse, si prædicatum negativum sit identificatum positivo. Item aliud est, quod compositum reale tollatur per negationem vel unius partis; quia singulæ partes habent distinctas negationes. His omnibus accedit, quod *hircus-cervus*, *hircus-non-hircus*, sint quid impossibile, negationes verò illotum sint necessariae: ergò per se se ipsa non possunt formaliter excludi; quia necessarium distinguitur ab impossibili. Axioma illud: *per quod res est id, quod est, per illud idem non est id, quod non est*, intellige de exclusione radicali, seu fundamentali.

Una adhuc resolvenda quæstio restat, an scilicet resposita elicubi, ubique tollatur ejus negatio absoluta. Ad quam redetur affirmativè: si enim negatio, rei opposita, non tolleretur ubique, res esset in rerum natura, & non esset: esset, ut supponitur; non esset, quia daretur ejus negatio. Aliqui obmovent hanc paritatem, quod ex eo, quod tollatur negatio absoluta duratio nisi A hodiernæ pro tempore hodierno, non tollatur pro alio tempore. Sed male contra principia dialectica, juxta quæ contradictionia non præscindunt à tempore, sed ad idem instans referri debent. Imò si negatio rei, hoc ipso quod non detur pro uno tempore, non detur etiam pro alio tempore, sequeretur manifesta contradictione; sequeretur enim v.g. jam dari Anti-Christum, & simul non dari: Non dari; ut patet: dari; quia jam non datur negatio Anti-Christi, si verum est argumentum propositum; nam pro alio tempore, scilicet quo existet Anti-Christus, non datur negatio Anti-Christi, & secundum

dùm Adversarios , si in aliquo tempore non datur negatio Anti-Christi , jam in nullo datur. Unde res , & negatio rei absoluta sibi opponuntur contradictoriè ; non autem res & negatio rei respectiva , quare non sequitur : ubi non est negatio rei , ibi est res : ergò si negatio Papæ non sit Coloniæ , Papa est Coloniæ . Ubi insuper NB , quod hoc complexum : *Papa est Colonia* , dicat Papam & ubicationem affigentem Papam Coloniæ , idque copulativè ; unde disjunctivè debet excludi formaliter , vel per negationem Papæ , vel per negationem ubicacionis . Res & negatio rei sunt contradictoria in ordine ad se ; non verò in ordine ad locum , & alia quæcunque prædicata : quod bene observandum.

## *Ens increatum , & illius Connexio cum Creaturis possibilibus.*

**D**Evenimus tandem ad ens increatum , ad cuius pleniorē notitiam omnis entium creatorum cognitio dirigenda est. Dati ens aliquod increatum , quod DEUM dicimus , adeò invictè demonstrat Metaphylicus , ut non potuerit dicere , nisi in corde suo insipiens : *non est DEUS*. Præter alias demonstrationes hoc demonstrat per viam causalitatis sic : singulæ creaturæ sunt ab alio : ergò etiam omnes : sed si omnes sint ab alio , debet etiam esse ens , quod sit à se , & à quo reliquæ omnes creaturæ & distributivè & collectivè productæ sint : ergò . Vim hujus argumenti non effugiet Atheus , si que ad argumentationem à sensu distributivo ad collectivum vi materie evidenter bonam requiruntur , perspexerit. Hanc regulam

regulam ponunt alii cum Haunoldo , quod prædicatum non debeat convenire parti, quâ pars est, sed parti secundum se. Vult Viva , regulam hanc tenere in prædicatis negativis & removentibus perfectionem à subiecto ; secùs in positivis : unde adjicit, quod per additionem aliarum partium tolli, aut minui non debeat prædicatum , quod de unâ parte dictum fuit. Si jam denique illud, quod toti collectioni tribuitur, non petatur ab aliquo tertio extrinseco , quod ex se impedit , quò minus conveniat collectioni prædicatum illud , quod conveniebat singulis; argumentationem vi materiæ evidenter bonam habebis ; omnia autem in nostro arguento convenientiunt. Licet verò ex præmissis contingentibus non possit sequi conclusio necessaria , ex contingentia tamen entis creati potest inferri per necessariam consequentiam existentia entis increati. Ratio prioris constat ex Logicâ de discursu: posterioris ratio est, quia cum res contingentes sint necessariæ in suâ contingentia, hoc ipso, quod non sint sibi sufficietes ad existendum, aut quod sint indifferentes, dant intellectui motivum necessarium ad inferendum, quod detur aliud ens sibi sufficiens ad existendum, à quo tollatur aliorum indifferentia. Ex quibus hanc aliam demonstrationem construit Metaphysicus : omnia sunt contingentia : ergò omnia possunt non esse. Ponamus , quod non sint. Vel tûm poterunt produci à se, vel ab alio non à se; quia quod non est, non potest sibi dare esse : ergò ab alio , quod necessariò & independenter ab aliis existit , & hoc est ens increatum , sive DEUS.

Hujus attributa examinant Theologi : ipsius omnipotentia nobis hîc occasionem præbet, investigandi , an omnes tuos effectus possibiles transcendentaliter respiciat, & cum quovis determinatè essentialiter connectantur.

tur. Idem quæritur de causis creatis. Ad utrumque sententia affirmans præplacet. Quia omnis causa habet sibi identificatum hoc prædicatum, quod sit *productiva*; hoc non est explicabile, nisi in ordine ad effectum. Deinde implicante effectus possibilitate intrinsecâ perit necessariò hoc prædicatum; quia non manet potentia productiva ad aliquid impossibile. Respectus causæ ad effectum non est *conditionatus*, ut vult Oviedo, sed *absolutus*: nam imprimis Deus est essentialiter omnipotens, adcōque ex suis intrinsecis debet exigere possibilitatem creaturarum. Dein omnis potentia, quæ est sub conditione necessariò existente est potentia absoluta; potentia autem ad effectum, si sit possibilis, est sub conditione necessariò existente. Item potentia sub conditione impurificabili est essentialiter frustranea: atqui talis est potentia productiva Chimæræ, si esset possibilis: ergo. Unde hæc propositio: *causa respicit effectus, si sint possibiles*, vera est hoc sensu, quod illa conditio purificata non officiat, quod minus causa respiciat effectus; non autem hoc sensu, quod causa habeat conditionatam potentiam producendi effectus. Neque potentia dicit respectum ad effectum, sive sit possibilis, sive non: quia sic foret æquè productiva chimæræ, ac alterius rei possibilis: requirit ergo rationem formalem, sub quâ respiciat, quæ est possibilitas intrinseca. Nec denique partialiter constituitur per possibilitatem effectus: nam quævis causa ratione suæ entitatis præcisè habet hoc meritum, ut præ ceteris rebus referatur ad effectum producibilem v.g. sol ratione suæ entitatis habet, ut ad lucem producibilem tanquam causa referatur ipse potius, quam alia quævis res: unde quod sit productivus calor, & non v.g. actus vitalis, habet ex suâ essentiâ, nam uterque effectus est possibilis, & tamen utrumque non potest producere.

Neque

Neque ex ejusmodi respectu vel connexione redundat aliqua in Deum imperfectio ; quod maxime exaggerat P. Vasq. Connecti enim Deum cum creaturis , non est dependere ab illis ; nam connexio illa non est fundata in indigentia , sed in fecunditate : connecti non dicit secundum se dependentiam : sic Pater & Filius in divinis essentialiter connectuntur , quia positi se simul ponunt , & ablati se mutuo afferunt : nec tamen a se invicem dependent : unde quod nequeat permanere Deus , sublatâ creaturæ possibilitate , hoc inde oritur , quod non posset illi communicare aliquam perfectionem. Neque respiciens transcendentaliter creaturas possibles , ordinatur ad illas tanquam finem , vel complementum , a quo perficiatur ; sed tanquam ad terminum suâ omnipotentia indigentem. *Primum* sonat imperfectionem ; non *secundum*. Neque tollitur a Deo ratio entis summè necessarii : manet enim Deus necessarius *positivè* , creatura autem possibilis tantum est necessaria *negative*. Nec denique nimium constringitur Dei omnipotentia : licet enim signate adstruas majorem potentiam , & necessitatem existendi , si ponas , eam se extendere ad chimeras , nec deficere pro quoconque casu , etiam impossibili ; non tamen erit exercite major. Sed edic : an Deus Pater habet majorem necessitatem existendi , si permaneat etiam sublato filio ?

Ex his sequitur pariter , causam tam incretam , quam creatam essentialiter connecti cum quovis determinate effectu possibili ; nam implicante quoconque effectu in individuo implicat virtus illius productiva , causæ identificata ; unde , implicante etiam unicâ muscâ , implicaret Deus , quia periret virtus productiva illius muscæ Deo identificata : & contra si vel unica chimera fieret possibilis , similiter periret ; quia accederet ipsi nova virtus ; quod implicat Durationem hesternam potest

Deus producere hodie , at non pro hodie , sed pro heri : quod illa hodie implicit , propterea non implicat Deus , quia pro hodie nunquam fuit possibilis . Implicite musca potest Deus adhuc producere , quidquid non implicat , potest , inquam , signatè , non exercitè ; quia hoc ipso implicat Deus . In hoc syllogismo : *vel musca est possibilis , vel Deus datur : sed musca non est possibilis : ergo Deus datur.* Veritas minoris destruit veritatem majoris ; adeoque ex illis praemissis non infertur conclusio legitima , quæ innititur simultaneæ veritati præmissatum . Licet possibilitas & existentia realiter idem sint ; connectitur Deus essentialiter cum possibilitate , & non cum existentiâ sine ullâ contradictione : quia *primus* sonat : *repugnat Deus contradictioni in prædicatis , vel exigit non dari contradictionem.* Alterum , *non repugnat negationi existentia , vel , non exigit dari existentiam.* Quæ autem hic contradictione ? Hoc observandum specialiter : Causam non respicere effectum ut pure possibilem ; alias necessariò conjungeretur cum negatione effectus : nec ut actu existentem ; alias non posset componi cum ipsius negatione ; sed possibilem præcisive ; quæ possibilitas est ratio formalis , sub quâ causa attingit effectum : & quia res mere possibilis physicè nihil est , non connectitur quidem Deus cum illâ nexus physico ; connectitur interim nexus Logico , qui , ut jam dictum est , consistit in eo , quod Deus exigit , ut , si existat , non involvat contradictionem .

J. M. J.

# PHYSICA

Sive

## *Philosophia Naturalis.*



HYSICA , quæ corpus naturale considerat , ut naturale , est scientia effectuum naturalium , & causarum proximarum eos immediate producentium , sive brevius , scientia naturæ corporeæ . Objectum ejus complexum rectius exprimi conceptu corporis naturalis , suadet autho ritas Aristotelis 6. Metaph. c. 10. inquietis circa tale subiectum est Physica , in quo principium motus & status . Ens mobile cum utrumque non exprimat , & præterea

genus contineat nimis remotum ( quod secundum etiam in hoc complexo : *substantia naturalis* , offendimus) minus recte pro illius objecto statues, si stricte loqui velis: si materialiter loqueris, & in sensu reali , & illud, & hoc , & istud objectum ejus erit. Eam esse *scientiam*, eadem probat ratio , quaे pro Logicā & Metaphysicā adducta est: esse merè *contemplativam* , ex illius fine habemus, qui est speculatio : quòd eam aliqui ad praxin ordinent, Physicæ per accidens est. Iterū DEUM , Angelos , aliasque naturas spirituales *indirectè* tantùm considerat : non *directè* ; quia in iis non reperit *objectum suum formale sub quo* ; quod est sensibilitas. Si Physicam minus stricte , propriè tamen , acceperis; erit complexum ex illis habitibus , quorum actus versantur circa principia , causas , proprietates , accidentia &c. corporis naturalis. Atque hinc patet , quanta sit Physicæ dignitas , jucunditas , utilitas. Philosophum ducit ad cognitionem mundi aspectabilis , in quo degit ; terræ , quam incolit ; corporis , quod pars ipsius est ; naturæ demum universæ , & DEI naturæ authoris , cuius est opus.

## *Existentia Materiæ , & Formæ ex Materiæ eductæ.*

PHilosophia naturalis cùm circa corpus *physicè* consideratum pro substantia materiali completa , tanquam proprium argumentum versetur , sciendum , illud esse

coir

compositum substantiale ex partibus invicem utitis in principium radicale adaequatum omnium operationum tensibilium, quae ab ipsis in statu suo connaturali constitutis exerceri possunt.

Hujus physica compositio Philosophos tum Veteres, tum Recentiores in varias divisit sententias. Atomistarum, Elementariorum, & Chymicorum systemata nullo modo probari possunt. Dum enim Atomistæ pro communi subiecto, cum Epicuro & Democrito atomos vel particulas materiæ *homogeneas* statuunt; formam verò præter accidentalem earundem figurationem ac combinationem, nullam admittunt; quid aliud agunt, nisi ut canem & lapidem non plus, quam cerea eorum simulacra differre faciant; effectuum naturalium rationem è natura tollant, vimque agendi omnem causis secundis auferant? quod quidem non fidei minus, quam rationi & experientiæ adversatur. Qui cum Anaxagora statuunt atomos materiæ infinitas, easque heterogeneas (quod docuit ille, ut tanto nœliùs specificam corporum diversitatem salvaret; utque ostenderet, *ex quolibet posse fieri quidlibet, & ex nihilo nihil*, statuit in quovis corpore dari *ταντεριανα*, doctrinam suam complexus his verbis: *omnia simulerant*, id est, confusa; *dein accessu mens*, qua omnia redegit in ordinem, ita tamen, ut omnibus rebus inessent omnia) hi discant, falsum esse, ex quolibet fieri quidlibet; nec enim omnia fert omnia tellus. Dein si omnia lateant in omnibus, quidnisi singula sint omnia? Neque felicius philosophatur Cartesius, suis ramentis, striis & globulis, ex quibus omnem materiam componit, ita fidens, ut, se nihil admittere, glorietur, quod non sit evidens: sed nobis videtur in fabula nemini esse secundus. Dum verò in sua methodo afferit, quod, licet Deus ab initio nullam aliam, quam chaos formam mundo dedisset; si tamen

post impressum ipsi motum localem concursum ad agendum [ uti solet ] reliquisset , hoc ipso potuerint omnes res sic effici , ut illas nunc videmus . Nunquid istud nimirum accedit ad errores Democriti & Epicuri , volentium , mundum ex fortuito atomorum concursu potuisse constitui ? Nunquid ruere videtur argumentum , quo contra Atheos existentiam Dei demonstramus ex illo mirabili ordine & pulchritudine universi , quæ scilicet non potuerint fieri , nisi ex directione infinitæ alicujus Sapientiæ & Potentiaæ . Dum iterum brutis omnem animam viventem negat , vultque esse meras machinas inanimatas per variam corpus colorum subtilium mixturam ita à Deo ordinatas , ferè sicut fiunt horologia : nunquid occasione in præbet , ut stando in ratione naturali idem dicatur de homine ? nunquid scriptura animam viventem iis tribuit ? eam metaphoricè explicare , prohibet regula S Augustini , verba Scripturae accipienda esse in sensu proprio , nisi evidens ratio , vel gravissima obstet authoritas . Unde licet permittatur , metaphysicè possibile esse , motus brutorum esse instat horologii : at , utrū res sunt de facto , tolerari illud non potest . Certè majorem illam facilitatem , brevitatem ac claritatem , quam Gassendus potissimum & Cartesius tantopere jactitant , in illorum sistematicis non licuit observare . V.g. atomi sic & sic dispositæ faciunt v.g. murem , aliter dispositæ simiam . Si queris : quid est hoc sic & sic ? Respondent , id explicari non posse , quam dicendo : hoc corpus naturale est mus , non simia ; quia atomi habent combinationem , quæ facit murem , non simiam : tot atomi faciunt solem , tot talpam . Sed redit questio , quænam sint istæ atomi , cuius naturæ , quot in specie faciant hæc entia &c . Sic etiam petitur à Cartesio , in formatione vulpis , gallinæ , philomela , quot & quæ corpuscula moveantur hæc , quæ illac , dum canit philomela & rudit asinus , quomodo & quorū

sum moveantur atomi aliæ? &c. Plura per Thesum de-  
cursum alia observata reperies.

Neque satisfacit Philosophia Elementarium, sive in uno,  
sive in pluribus, sive in omnibus quatuor vulgatis elemen-  
tis variè permixtis omnem corporum naturalium essentiam  
absolvunt: præter plura enim, quæ contra alia systemata  
diximus, contra illos est, quòd ipsa elementa, licet sint  
simplicia, prout *rd simplex* opponitur *mixto*, sint corpo-  
ra composita constantia ex actu & potentia, adeoque pri-  
ma principia statui non possint. Si Chymici salem, sul-  
phur, mercurium, & terram damnatam ex corporibus  
aliquibus in alembico extrahant, ea tamen nec sola sunt,  
nec prima rerum principia: non *prima*; quia & ipsa com-  
posita sunt. Non *sola*; si enim velint, ex sale tanquam  
materia, sulphure tanquam forma, mercurio tanquam  
unione, omnia corpora naturalia essentialiter compingi,  
errant profecto: ut enim omittant alia; nonne neganti  
animæ rationalis immortalitatem præbetur fundamentum  
dicendi, in morte hoministantum restare salem, sulphur  
abire in auras, & cùm hoc in homine sit subtilissimum,  
vulgariter putari, esse animam viventem, illudque homi-  
nem discernere à brutis, in quibus non est ita nobile, &  
spiritosum sulphur; mercurium denique exsiccati. Chy-  
micorum itaque sistema, in quantum ratione & expe-  
rientiâ probatur, integrali corporis naturalis composi-  
tioni explicandæ utcumque deservit: atque de hâc intel-  
lige illorum principium, *ultimum rei resoluvum est*  
*primum rei constitutivum*; quod cum Elementaribus  
commune habent.

His igitur omnibus rejectis, sistema peripateticum  
nostrum facimus: quod statuit duo corporis naturalis  
principia intrinseca atque essentialia, materiam primam,  
& formam substantialem, utrumque ens incompletum,

realiter à se invicem distinctum , hoc determinans ad certum specie compositum , illud determinabile. Et primò quidem materiam primam admittendam esse , suadent sequentia. Experimur enim substanciales rerum mutationes ; nam aqua mutatur in aërem , aëris in ignem , alimentum translatum in alitum &c. idéoquè datur communione aliquod subjectum istarum mutationum , quod substitet tamen genito , quām corrupto : nisi enim hoc ita sit , jam illud adæquate prodibit ex nihilo , hoc verò totum transibit in nihilum ; quod utrumque superat vires agentium naturalium , quæ neque annihilare , nec creare possunt , sed in destructione compositi semper aliquid incorruptum relinquent , & in productione quidvis dependenter à subjecto præexistente producunt , ita ut vi talis actionis productivæ in eodem subjecto simul recipi exigant illud , quod producitur. Et certè , si anima rationalis , licet à Deo creetur , superfetque omnem activitatem agentium naturalium , ut tamen connaturaliter producatur , prærequirat subjectum debite dispositum , in quo recipiatur : quidm multò magis agens naturale , ut agat , & producat substantialiam , quod sit , dum genitum succedit in locum corrupti , prærequirit subjectum aliquid , idque debite dispositum , cui forma producta inexistat : Accedit & illud luculentum communis subjecti indicium : videmus enim non raro oriri pugnas inter res naturales , genitum pugnare cum corrupto , & contrà ; unde meritò arguitus , id fieri propter aliquid utrique commune , quod unum , quia illud possidet , manuteneret , alterum verò occuparet , & sibi proprium facere conatur : contrariorum enim pugna circa idem est. Hoc autem , pro quo obtinendo & refinendo utrimque pugnatur in mutationibus illis substancialibus ( quas negare , juxta Sémery , est apostatarē à sen-

à sensibus) quodque post pugnam à corrupto ad genitum transit, & ex quo novum totum fit, & constituitur, est ipsa materia prima, quam cùm i. Phys. text. § 2. Aristoteles dixisset incorruptibilem & ingenitam, ita subdit: *necessè est eam esse, si enim fiat, subiici aliquid opòret primum, ex quo fiat.* Generatio est *mutatio totius in totum*, denominative, non quidditative acceptum, *nullo sensibili remanente*, ut subiecto eodem denominationis. Sensus quidem aliquando judicant, in corruptione nihil remanere; sed corrigendi hi sunt per rationem, quæ suadet, nulli agenti competere creationem & annihilationem, aut transubstantiationem. Nec pétant Gaslendistæ, vel Cartesiani demonstrationes Metaphysicè evidentes; sufficit, pro existentiâ materiæ primæ, uti & formæ substantialis tales dari rationes, cui prudens intellectus acquiescere debet. At quomodo illi demonstrant contrarium?

Nos sic ratiocinati pergimus: si detur pars determinabilis substantialis, datur quoque pars determinans, scilicet forma substantialis. Quod hoc modo ostendimus: in homine datur forma substantialis, scilicet anima rationalis, ut certum est apud Philosophos Christianos, cuius ratio (præscindendo à fide; non enim idèò datur anima rationalis, quia fides docet, sed fides idèò docet, quia datur) non est alia, quam in modo, quod aliquid实质的, dum homo moritur, à materia separatur. 2dò quod in homine dentur certæ dispositio-nes, & organizationes, quæ cum à materia non exigantur, necesse est, aliam in homine reperiendi compararem, formam scilicet substantialiem, à qua exigantur. 3rdò quod experiamur tot, tamque miras operationes in homine, quibus necesse sit, aliquod substantialie principium præesse. Unde jam ex paritate rationis in aliis viventibus,

bus, tām brutis, quām plantis arguimus similiter, ad-  
 mittendas esse formas substantiales: nam imprīmis in  
 brutis agnoscimus esse operationes vitæ sensitivæ cum  
 operationibus sensitivis hominum planè convenientes, ut  
 sunt, videre, audire, gustare, terrei à noxiis, allici à  
 congruis &c. ut alia formæ substantialis in brutis reper-  
 te signa prætereamus: accedit, quod nulla sufficiens ra-  
 tio dari possit, ad negandum illis animam sensitivam.  
 Deinde plantæ habent peculiares dispositiones, habent &  
 sua organa, per quæ exercent actus vitæ vegetativæ: sic  
 arbores v. g. introsuscipiunt, inde aluntur, virent, ex-  
 crescunt, dilatantur &c. quæ, cum à materiâ prima non  
 proveniant, alteri comparti substanciali adjunctæ velut  
 propria tribui debebunt. Idem judicium esto de compo-  
 sitis inanimatis: aqua enim v. g., quantumcunque ca-  
 lida, remoto igne, se paulatim reducit ad nativum fri-  
 gus, calore expulso; plumbum liquatum reddit ad prius  
 frigus, & ad priorem soliditatem: idem est de multis  
 aliis compositis inanimatis, quæ sua peculiaria acciden-  
 tia, & proprietates connaturaliter habent, & constanter  
 retinent; imò si per vien & contra naturam composi-  
 torum accidentia impedianter, aut destruantur, compo-  
 sita tamen ad tempus sibi relicta ad priorem connatu-  
 ralem, & accidentibus ac proprietatibus suis convenien-  
 tem statum ex se ipsis reducuntur; non aliâ de causâ,  
 quām quod in illis omnibus sit & maneat præter mate-  
 riā primā aliquod principium radicale constanter ex-  
 igens talia accidentia. Atque hoc radicale principium  
 certarum proprietatum & accidentium stabiliter & con-  
 naturaliter convenientium toti, est forma substantialis,  
 sive pars substantialis determinans, in composito ab Ari-  
 stotele asserta. Corpuscularii illi, qui in extinctione can-  
 delæ per flatum v. g. oris volunt dissipari omnes for-  
 mas

mas peripateticas, cum ejusmodi flatu & extinguatur & reaccendatur candela, adeoque si forma substantialis aliqua destrueretur, aut nova produceretur, idem fatus foret causa producens & destruens: hi, inquam, advertant, quomodo idem fatus immensus in candelam accensam dissipet ignea corpuscula; quando vero immittitur in ellychnium candela recens extincta, iterum illa congreget, & combinet: & quomodo hoc? Unde actum agunt: non enim fatus ille est causa immediate producens vel destruens formam ignis; sed vel immensus in candelam ardente dissipat igneas particulas, quae deinde a circumstante aere facile destruuntur, & in aereum convertuntur: vel immensus in ellychnium iterum excitat & colligit illas, quae deinde novam flammarum rursus producunt. Neque, si detur forma substantialis tanquam principium proprietatum & operationum totius, illa erit principium tendens in suu corruptionem: aliud enim est facilitare suam corruptionem; aliud in illam tendere. Sic oleum, sulphur &c. facilitant suam corruptionem, ideo enim facilime igniuntur, quia habent qualitates propius accedentes ad formam ignis. Licet autem forma substantialis sit materialis, propterea non est materia; quia inde statim non sequitur, quod sit subiectum primum: omne substantiale est substantia, quia hoc ipso potest constituere primam radicem operationum. Ars imitatur quidem, non tamen asequitur naturam; non enim efficere potest res habentes in se ipsis principia suu motus: quae tamen in natura reperiiri, haec tenus ostensum est.

Habemus igitur existentiam materiarum primarum, & formarum substantialium: quam volumus, ab illa realiter distinctam, virtute agentium naturalium de novo produci. Neque hinc sequitur absurdum illud, quod Peripateticæ Scholæ objici-

objicitur, nimirum catusis secundis virtutem creatricem,  
 soli Deo propriam , hāc ratione necessariō tribuendam.  
 Novimus enī à creatione educationem distinguere. *Cre-*  
*atio* est productio rei non alligata essentialiter ulli sub-  
 jecto præsupposito : *Eductio* est productio rei essentialiter  
 alligata alteri, tanquam subjecto præsupposito : illa  
 soli Deo, hāc etiam causis secundis propria est. Quid  
 amabō in hāc distinctione reprehensione dignum ? Vel  
 enim actio educitiva, qualis descripta, est possibilis, vel  
 impossibilis? si hoc ; contradic̄tio assignetur : si illud ,  
 cessent insultare Peripateticis Atomistā. Hāc distinctione  
 inter creationem & educationem positā, dicimus, om-  
 nes formas materiales ( quamvis actione creativā abso-  
 lutē produci possint : quid enim obstat? ) naturaliter pe-  
 tere educi è materiā ; quia naturaliter petunt produci  
 per actionem dependentem à materiā tanquam subjecto  
 præsupposito; non enim ulla forma materialis ex vi suæ  
 naturalis productionis potest esse sine materiā: ergo pe-  
 tit poni dependenter ab omnibus suis causis, à quibus  
 inesse & conservari naturaliter dependet. Non tamen  
 propterea *actu* & *formaliter* in materiā præexistunt; sed  
 potentia & virtualiter tantum , quatenus in priori ad il-  
 laruin existentiam datur subjectum, in quo formæ pro-  
 ductæ recipiuntur, & in causis virtus eas producendi per  
 actionem essentialiter alligatam illi subjecto. Datur qui-  
 dem etiā in materiā nihilum animæ rationalis, sed ni-  
 hilum tamen suū , quam subjecti ; quod anima rationalis  
 præsupponat materiam dispositam & organizatam ad suū  
 productionem, non idē dependet à materiā ; sed hęc  
 præsupponi debet , ut detur aliquid, quod exigat illius  
 productionem : è contra licet subjectum non amplius  
 exigat , animam in se conservari , ipsa tamen anima  
 (cum non fuerit producta dependenter à materia, pos-  
 sitque

sitque extra corpus nobilissimas operationes exercere )  
 pergit exigere sui conservationem , & per consequens  
 conservatur naturaliter. Si forma materialis dependeat  
 in fieri à materia, & postmodum extra materiam con-  
 servetur, educationi succedit creatio. Atque ex his in-  
 telligitur, quid respondendum sit ad hoc axiomā : *ex ni-  
 bilo nihil fit* : quod nimirū exaggerant Atomistæ. Dum  
 querunt, an formæ antea in materiâ fuerint , an non?  
 tu patiter quære , de intellectib⁹ & volitionib⁹  
 quas modò non habet infans, & postea elicit ; item de  
 combinatione in hâc chartâ, quæ modò est, & antè non  
 fuit. Si fuerit, non est facta de novo : si non fuerit ;  
 creatur. Creari non dicent : ergo neque forma , licet  
 antecedenter non fuerit actu in materiâ , non creatur ;  
 crearetur, si produceretur ex nihilo sui, & subjecti: ubi  
 NB. quod per rō *ex subjecto* nil aliud intelligatur, quām  
 produci per actionem essentialiter alligatam subjecto.  
 Quascunque experientias adduxerint Adversarii , nun-  
 quam probabunt , latuisse in aliquo corpore corpuscula  
 formâ materiali destituta, aut solas formas actu latentes  
 extrahi.

Sed cum, formam educi ex materiâ , soleat explicari  
 per influxum passivum materiæ in formas; hinc queritur , quis ille sit ? R. realiter est ipsa actio productiva  
 formæ: quæ actio, in quantum procedit à causâ effi-  
 cente, dicitur simpliciter productio : in quantum pro-  
 cedit à causâ efficiente agente dependenter à subjecto ,  
 vocatur eductio : quatenus respicit materiam præcisè ,  
 dicitur sustentatio, seu influxus passivus egrediens è ma-  
 teriâ, tanquam subjecto.

# Principia, & principia- tio corporis naturalis.

**S**TABILITÂ nunc existentia materiae prime, & formae substantialis materialis, examinanda veniunt corporis naturalis principia, eorumque principiatio. Ubi hoc premitendum, quod principia intrinseca corporis naturalis definiantur ab Aristotele, *quaे neque ex aliis, neque ex alterutris, sed ex ipsis sunt omnia*, id est, omnia corpora naturalia. Oportet autem sumere principia collectivè per diversas classes; sic ex omnibus materialiis collectivè sumptis sunt omnia corpora naturalia in fieri & factō esse, item ex omnibus formis collectivè sumptis; ex privationibus omnibus collectivè sumptis sunt omnia corpora naturalia in fieri. Est autem illa definitio Aristotelis omnibus principiis univocè communis; quia *principium* est prædicatum supertranscendens, adeoque privationi potest esse commune. Adde, quod τὸ ex summendum sit strictè, ut significet partem intrinsecam.

Sed cum, ut jam insinuatum est, corpus naturale duplíciter accipi possit, *in fieri scilicet, & in factō esse*, diversimodè etiam de illius principiis discurrendum est. Si consideretur *in fieri*, tria illius principia communiter statuuntur, materia scilicet, forma & privatio. Ut autem clarius procedatur, observanda sunt sequentia: *nam*, quod corpus *in fieri specificativè acceptum* non distinguitur à corpore *in factō esse*; nam corpus, quod fit, est idem cum corpore, quod factum est: *concretivè sumptum*, vel sumitur *dispositivè*, & jam *in obliquo dicit dispositiones*; vel *causaliter*; & sic involvit actionem

nem productivam ; vel *per mutationem*; & sic est corpus *imò* existens, sed prout supponit, materiam præextitisse, & non habuisse formam illam, quam jam accipit, præscindendo an alia forma in materiâ præextiterit, an non ; sic enim sumptum dicitur corpus in fieri *per conversionem*. Per corpus *in facto esse* intelligimus illud, dum verum est dicere : *jam est corpus in facto esse*, & immediate antè etiam fuit factum. Si intelligas illud, quod immediate antè non erat, habebis re ipsâ corpus in fieri completere. Quibus observatis, *ratio* est; quia illa tria sufficiunt ad constituendam dictam obiectivam denominationem, seu *transitum à non esse formæ ad esse formæ*, & uno eorum sublato non habebitur. Si tollis privationem formæ pro 2do instante tantum, at non pro primo, non tollis corpus in fieri, quia 2do instante ponitur forma : tollitur autem, si eam tollis pro utroque instanti, quia non habebis *terminum à quo*. Principiat autem privatio in actu primo, dum est; hoc enim in eo consistit, quod materia non habeat formam, & immediate post habitura sit, aut saltem habere possit : unde quando privatio ultimò est, est tantum *inchoativè* mutatio, sive principiatum: an similiter res existens possit dici inchoativè præterita, puer inchoativè senex &c. pendet ab institutione vocum, & usu loquendi. Quando *imò* non est privatio, principiat in actu 2do; quia materia tūm habet formam, & immediate antè non habuit ; sicque manet terminus à quo, is enim est hoc, quod subjectum amittit. Ubi observa, aliud esse, privationem pro 2do instante principiare *per sui non esse*, aliud, principiare, *quando non est*: *imum* fallsum est ; quia significat, eam principiare per formam : *2dum* verum. Cum vero corpus in fieri sit successivum, & iradæquatè negativum, potest intrinsecè

con-

constitui ex duobus se mutuò excludentibus, formâ scilicet & privatione, ex illâ tanquam termino ad quem, ex hâc tanquam termino à quo: sufficit quoque in successivis, ut principium & principiatum sint simul *logice* & *moraliter*. Exempla habes in aliis successivis v. g. horâ. Privatio tollit quidem formam pro eo instanti quo existit; at non pro sequente, adeoque non tollit transitum: & licet privatio opponatur privativâ formâ, ratione tamen principii potest illis esse communis, utpote dicens aliquid commune positivo & negativo. Dum Aristoteles ait, privationem esse *principium per accidens*, intellige respectu corporis in facto esse. Postremum illud notandum est, quod si mutatio spectetur, prout fit per ordinariam generationem, de illius essentiâ sit privatio tamen formâ, quam unionis: si præcisè mutatio quâ talis, privatio *formæ unitæ*; quod complexum cum sufficienter excludatur vel per privationem formâ, vel per privationem unionis, vel utriusque, nulla determinatè requiritur: qualem concipis transitum, talem statuere oportet privationem. Terminus tamen *ad quem*, scilicet *forma unita*, manebit principium *elementale*; quia non coalescit ex duabus partibus per modum potentiae & actus. Ex his omnibus conficitur, neque dispositiones, neque formam veterem, neque actionem educitivam &c. pertinere ad essentiam corporis in fieri per mutationem: quia seclusis illis omnibus totus transitus objectivus concipi potest. Si intelligis mutationem strictè in sensu Aristotelis, educitio simul requiritur; quia aliam generationem non videtur agnovisse, quam illam, in quâ formâ sit dependenter à materia.

Principia corporis in facto esse duo sunt, materia & formâ; quia totidem sunt partes illud intrinsecè constitutae ut quod. Si *quarit*, qualis materia sit de essentiâ totius

totius v. g. hominis? redetur communiter; aliqua *indeterminatè*. Si omnis materia v. g. Petri per calorem naturalem dissolveretur, aut in alia corpora migraret: permitti potest, quod non foret amplius idem homo physice, maneret tamen idem moraliter. In eadem hæc communi via respondendi, fieri potest, ut materia, quæ modò est bovis, postea sit hominis: adeoque constabit homo eadē cum bove essentia, non adæquatâ quidem, sed inadæquatâ: in quo certè nil absurdum est, cum omnis materia prima sit homogenea: majus profecto absurdum devorant Atomistæ, qui atomos bovinas comedunt, & in suam substantiam convertunt, nullâ factâ mutatione, nisi in solo situ & combinatione. Quæreri etiam solet, in quâ materiâ homo sit resurrecturus, si non semper habeat eandem. At cum hæc tantum agendum sit divinatione; illud unum certum & indubitatum affirmamus: recipiet unusquisque, prout gessit, in suo corpore. Interim non contemnenda est illorum AA. sententia, qui volunt, primariam aliquam materiae partem, quam *primigeniam*, vel *minimum naturale* appellant, in homine constantem permanere. Voltint, hanc esse minimam portionem materiae, in quâ naturaliter potest esse anima, quâque rite dispositâ mox anima infunditur: eam non esse nudam materiam primam, sed secundam, his qualitatibus instrutam: eam esse de essentiâ hujus individui hominis, ita ut, si illâ materiâ careret, non esset hic, sed aliis homo: eam esse solidiorem, neque per calorem naturalem dissolvi: hanc denique materiam præcipue à parentibus participari, atque inde plerumque filios evadere similes, jam uni, jam alteri, jam utrique parenti. Si queratur, ubinam in corpore sit hæc materia primigenia. redent, esse eam partem corporis, quæ primò & ultimò infotatur per animam: cor & cerebrum habere jus litigan-

di: si veræ sint historiæ, quod inventi fuerint, qui aliquamdiù vixerint sine hepate & corde, & de aliis cum gemino hepate; & de aliis verè habentibus animas distinctas, sed unicum cor; in solo cerebro videri esse materiam primigeniam; quod confirmant ex eo, quia apud morientes, trigalentibus ceteris membris, ad extremum tempora calescere videmus. At cum cerebrum non sit punctum indivisibile, notam volunt Deo & Angelis illam partem, quæ sit minimum naturale.

*Dixi*, materiam & formam esse principia; nam unio est tantum pars ut quo, estque principiatio corporis in facto esse; ea enim determinat materiam & formam ad actu principiandum, eaque solâ sublatâ non habebitur principiatum. Frustra simul requires durationes & ubicationes materiæ & formæ; nam unio essentialiter connexa est cum coëxistentiâ & conduratione partium. Quale principium connexum metaphysicè cum durationibus successivis quia non includit corpus in fieri, nec tamen sine his intelligi potest, illæ ad ipsius essentiam pertinent.

Unde dicendum, quod ratio principiandi corporis in fieri per mutationem sit immediata successio formæ post suâ privationem in materiâ: quæ consilit in sequentibus durationibus, duratione materiæ pro 1mo instantे, & suo modo privationis, duratione materiæ pro 2do instantे, & formæ & unionis formæ pro eodem. Sic enim habebis omnia, quæ requiri possunt ad rationem principiandi corporis in fieri, & unâ duratione sublatâ non habebitur. Adverte autem, quæstionem esse de transitu reali & physico, transitus enim rationis v. g. si eodem instanti, quo creatur materia, educatur forma, si sol concipiatur à non durante transire ad durantem &c. sine durationibus concipi potest. Generatio instantanea est respectu

respectu formæ, non respectu transitū, qui uno instanti absolvī non potest. Durationes seorsim sumptæ sunt quidem ratio durandi tantum; secūs si simul sumantur; sic enim sunt determinatio principiorum ad principian-dum corpus in fieri, quæ nunquam simul potest esse adæquate physice, sed partim physice, partim logicè. Corpus in fieri & corrupti non differunt tantum secundum diversum modum importandi; privationem enim esse priorem forma, & formam esse priorem privatione, præter modum importandi diversum, etiam à parte rei includunt aliam successionem. Quod advertant illi, qui pro ratione principiandi statuunt privationem unionis præcisè, & unionem: quomodo enim illi distinguunt corpus in fieri à corpore in corrupti? deinde cum privatio unionis, & unio præcisè tantum denominent materiam privatam forma & unitam formæ, nil reperitur, quod sit transitus à quo, & ad quod. Divisio, quam faciunt in transitum formalem & objectivum, in quantum objectivus non includit durationes, admitti non potest; quia ratio transitus non potest separari à ratione successivi. Unio igitur in corpore in fieri est pars determinabilis, constituens partialiter terminum ad quem: & licet sc habeat ut quo respectu corporis in factō esse, non tamen respectu corporis in fieri; sicut unio inter corpus & animam Christi habet se ut quo; respectu totius suppositi tamen ut quod, & tanquam pars determinabilis. Decretum Dei solūm est determinatio causalis: dispositio-nes quanquam naturaliter adsint, non possunt tamen statui pro ratione principiandi; nam iis positis, possunt principia non principiare, & iis non positis, principiare, talitem supernaturaliter.

# Materia & Forma seorsim.

**M**ateria prima ex Aristotele est *subjectum primum uniuscujusque*, *ex quo aliquid fit*, *cum insit per se*, & non per accidens. Unde sic solet definiri: *substantia incompleta*, *ex quâ tanquam primo subjecto fit corpus naturale*. Definitio ex hucusque dictis sequitur: Ex eâ autem deducitur, quod de se habeat capacitatem remotam ad omnes determinatè formas possibles; quia, cum sit *uniuscujusque subjectum*, nulla est forma substantialis possibilis, quam nequeat recipere, *quantum est de se*. Quod similiter de corruptis intelligendum est; quod enim illæ sint irreproducibilis, per accidens est, sūntque tantum impossibilis extrinsecè: ac licet duratio hesterna nequidem absolutè hodie sit reproducibilis, potest tamen eam materia hodie recipere, non quidem pro hodie, sed pro heri. Datur itaque in materiâ simultas potentie ad omnes formas recipiendas, non quidem collectivè, sed distributivè; etiam dūm aliam formam substantialem possidet; potentia enim remota materiæ est identificata; quod in eo casu alterius formæ non sit *proximè capax*, est defectu dispositionum &c. quæ si ad sint, etiam capax proximè erit, non quidem in sensu composito, sed diviso formæ præhabitæ. Nullas interim dispositiones ad formam aliquam determinatè exigit; sed *aqualiter* est ordinata ad omnes: cum omnibus enim potest facere unum per se; & licet una forma sit nobilior altera, id tamen ad finem materiæ, per accidens se habet, cum illius finis à naturâ constitutus sit præcisè

præcisè facere unum per se ; quod æquè potest cum forma nobili , quam ignobili ; sicut materialiter se habet ad finem scribentis , an utatur calamo auréo , an cupro . Illud Aristotelis : *materia appetit formam , sicut turpe appetit pulchrum* , intellige , sicut turpe appetit pulchrum , ut tollatur turpitudo , sic materia appetit formam , ut tollatur incompletio . Hoc Aristotelis videtur ansam deditse Authoribus , multa de appetitu materiae querendi , atque illi per summam analogiam tribuendi appetitum desiderii , gaudii , amoris ; non quidem cum Eminentissimo Ptolomeo dicere volumus , quæstiones ejusmodi esse inutiles ; sed cum materia nec amet , nec desideret , nec gaudeat ; contenti nos sumus , examinâsse illius capacitatem . Si de connexione cum formis quæras : *udemus* , eam connecti essentialiter cum possibili-  
tate omnium formarum ; unde si vel una forma im-  
possibilitaretur intrinsecè , consecutivè impossibilitaretur  
materia , conformatiter dictis de connexione cause cum effectu . Ceterum nullâ determinatè indiget , sed aliqua  
*indeterminata* tantum ; unde cum aliqua forma actu ex-  
istente habet connexionem toti naturæ inviolabilem , ut  
infra videbimus .

Noli autem materiae potentiam aliquam receptivam , ab eâ distinctam superaddere ; sic enim contra Aristotelem ages , qui docet , ex materiâ ut potentia , & ex formâ ut actu constituit unum per se : imò si forma per se ipsam sit actus informativus ; cur materia per se ipsam non sit potentia receptiva ? Dein illud superadditum vel est substantia , vel accidens ? non primum , quia nec est materia , nec forma , nec totum . Non secundum ; quia alias ex materiâ affectâ hoc accidente , & formâ non fieret unum per se . Recipit quidem formas ; me-  
diante quantitate , sed tantum tanquam dispositione ,

non tanquam subjecto. Nec ex his sequitur ; materiam fore infinitè perfectam ; vel certè idem sequitur ex sententiâ Adversariorum : vel enim hi superaddunt materiæ unam tantum potentiam ad omnes formas ? & jam hæc potentia erit infinitè perfecta. Vel superaddunt tot potentias , quot sunt formæ receptibiles ? & jam materia erit infinitè perfecta hoc ipso , quòd possit infinitas illas potentias recipere. Ex hoc igitur argumento : materia receptiva unius formæ est perfecta ut unum , duarum ut duo &c. ergo infinitarum infinitè perfecta. Ex hoc , inquam , sequitur tantum , perfectionem materiæ crescere proportione Geometricâ ; eadem enim virtus , quaë sufficit ad recipiendam unam formam , sufficit pro receptione plurium. Idem censendum de potentia sustentativa materiæ ; quia gratis & sinè fundamento superadditur materiæ aliquod accidens tanquam comprincipium instrumentale , quòd cum materiâ sustentet formas. Quòd nequeat sustentare formas , nisi mediantibus dispositionibus , ideo est , quia hæc reddunt potentiam proximè expeditam. Causa efficiens distat plerumque à passo , adeoque eget aliquo accidente tanquam causâ instrumentalis , quo conjungatur cum illo : at materia non sustentat formas , nisi intime presentes.

Ex eâdem ratione *subjecti primi* colligimus materiam omnium corporum tam sublunarium , quam cœlestium , esse homogeneam , & ejusdem speciei. De materiâ corporum sublunarium constare videtur ; quia videmus ea invicem transmutari , adeoque omnium formarum sublunarium est capax ; & cum præterea non adsit solidum fundamentum pro illarum specificâ diversitate ; cur illa statuatur ? formæ quidem sunt capaces earundem materialium ; sed non earundem proprietatum & operationum naturalium ; adeoque sufficienter colligi-

tur

tur earum specifica diversitas. Si adamas, aliisque forte lapides non possint transmutari in alia corpora; haec impotentia tribui debet formæ, quæ non patitur secum in materiâ recipi dispositiones ad introductionem alterius formæ. Diversæ formæ artificiales supponunt diversam materiam secundam, quia supponunt totum compositum in certâ specie constitutum, forma autem substantialis non supponit, sed prius constituit materiam in certâ specie corporis naturalis: unde licet illa sit in certâ specie metaphysicâ, non tamen est in specie physicè completa. Dum ait Aristoteles, materiam, ex quâ sit pituita, diversam esse à materiâ, ex quâ sit bilis, loquitur de materia secunda. Quod materiam corporum cœlestium attinet, non appetat fundamentum, cur major iis tribuatur perfectio. Quod corpora cœlestia sunt perfectiora quibusdam sublunaribus; perfectio illa refunditur in formam substantialem. Inò etiam si permittatur ea esse incorruptibilia; manet tamen earum materia capax formarum corruptibilium: quod enim alia non inducatur, refundi potest in debilitatem agentium creatorum, non habentium vim, formas cœlestes, vel peculiares eorum corporum qualitates destruendi; aut si eam habent, deest applicatio, vel adeat aliud aliquod impedimentum extrinsecum.

Eadem ratio suadet, materiam esse ingenerabilem & incorruptibilem. Cum enim sit *subjectum primum*, non potest produci dependenter ab alio subjecto, vel ibiatur in infinitum. Et quia non dependet à subjecto, non potest destrui dependenter ab illo & in illo: ergo est incorruptibilis; corrumpi enim est, desinere in nihilum sui remanente subjecto communi. Causa corruptibilitatis non est materialitas rei, sed contrarietas cum alijs formis, defectus causæ conservantis &c. nihil autem

materia contrarium habet, causa conservans est Deus &c. Est alterabilis hoc sensu, quod sit susceptiva contrariorum: in homine est radix corruptionis, eò quod in illâ subiectentur, & quasi radicentur qualitates contrarie: homo dicitur simpliciter generabilis & corruptibilis ab unione; secùs spiritualis aut incorruptibilis ab anima vel materia; hæ enim sunt denominations negativæ, illæ positivæ. Attendendum hîc potissimum est ad significationem vocum. In ratione continui corruptibilis est. *Ingenerabilitas* igitur, & *incorruptibilitas* materia sunt ipsius proprietates Metaphysicæ; nostro enim concipiendi modo à ratione subjecti primi profluunt.

Atque hæc de materiâ primâ. Per formam autem substantialem intelligimus *substantiam incompletam*, exigentem determinare materiam ad certum specie *compositum*. Brevius sic definiri potest: *substantia incompleta*, per modum *actus constitutens unum per se*. Unde materia facit tantum hanc substantiam differre numero ab aliis. Non tamen propterea forma est tota quidditas compositi: compositum enim componitur ex partibus, ergo & ex iis constituitur. Item si sola anima sit totus homo, homo nullo modo est compositus, erit totus spiritualis, indivisibilis, immortalis. Anima quidem est pars principalior, sed in symbolo Athanasii legitur: *anima rationalis & caro unus est homo*. Dum Aristoteles dicit, formam esse *totam quidditatem compositi*, tantum vult, quod forma sit id, per quod unum compositum essentialiter differt ab altero. Item licet sola forma sit radix activa operationum compositi, non tamen est simul radix passiva; nam materia est simul principium passivum: unde ex materia & forma constituitur una adæquata radix.

Sed

Sed oriuntur nunc circa materiam & formam dubitaciones quædam. Sic *dubitatur primò*, an materia habeat actum essentiæ & existentiæ proprium. Id, quod nos cum Scotistis & RR. passim affirmamus contra Thomistas: quod facile evincitur distinctione factâ inter actum *Logicum* vel *entitativum*, & *physicum*. Hunc materiae non competere, certum est; quia est pura potentia physica & passiva. Illum nos materiae vendicamus ex eo, quia materia per se ipsam est formaliter actu id, quod est: item est formaliter opposita nihilo, puræ potentiae objectivæ, est realiter à Deo creata, est realis pars compositi, & destructio v. g. ligno aliquid manet distinctum à puro nihilo: ergo includit actum entitativum; quidquid enim est realiter creatum, distinctum à puro nihilo, est actus entitativus; nam quod opponitur alicui potentiae, est actus, juxta Aristotelem; ergo quod opponitur potentiae puræ objectivæ, est actus entitativus. Ex quibus sequitur, eam etiam habere actum existentiæ proprium; cum illa identificetur cum essentiâ. Sed etiam reali distinctione permisâ, non quid materia immedietè terminat actionem suâ productivam, distinctam ab actione productivâ formæ? & quomodo per illam non accipiet suam existentiam, cum ponatur extra suas causas, & extra nihilum? *Nec relis*, formam esse causam formalem materiae; nam est tantum causa formalis compositi. Sed urgeo fortius: quomodo materia existet per existentiam formæ, cuius causa est? omnis enimvero causa debet supponi existens priori ad effectum. *Nec dici potest*, materiam secundum essentiam consideratam fore causam materialem suæ existentiæ: impossibile enim est, causam accipere existentiam à suo effectu; cum prius nequeat existere per existentiam posterioris. Neque solum argumentum hoc

tenet in causa efficiente, utpote quæ causat agendo ; & quantum est in actu ; cùm materia tantum causet patiente & recipiendo : nam causare materialiter plus est , quām recipere ; quia alijs & anima rationalis causaretur materialiter. Hinc licet forma existentiam suam materialiæ communicet , nequit tamen hæc denominari existens ab illâ , sed tantum per existentiam formæ materialiter acceptam determinatur ad certam speciem entis completi : quod cùm perfectius sit , quām sola forma , patet , quod materia propriam perfectionem addat toti. Si igitur materia pura potentia est ; non *objectiva* & *logica* , sed *passiva* est , quæ actus *physici* , vel *informantis* , non *entitativus* exclusiva est ; actus enim entitativus & potentia passiva non contrariantur : ens in actu entitativo sine actu entitativo implicat ; sed non ens in actu entitativo sine actu physico. Sit materia completa *metaphysice* ; an ideo non exurgit ens unum *per se* , quod ex duobus entibus *per se physice* incompletis copulatur. Esse principii *activi* est propter operari ; non principii *passivi* , quod potius est propter pati. Materia non est *aliquid eorum* , per qua ens determinatur , tanquam per actus physicos ad certam speciem entis completi. Non est *simpliciter ens* , *ens primò* &c. id est , substantia completa. Est pura potentia , sicut Deus est purus actus ; sicut enim Deus nullam includit potentiam physicam , sic materia nullum actum physicum &c. &c. Sed de his satis.

Dubitatur secundò , an materia possit spoliari omnium formâ substanciali , & illa , si materialis est , existere extra materiam. Resp. materiam informem facere vires naturæ excedit ; ut præter communem Philosophorum consensum , si Franc. Bonæ Spei cum uno forte aut altero excipias , suadet experientia : quis enim unquam

quam vidit materiam spoljatam omni formâ, & destrui formam, quin succederet nova ? quod certè, si non evidentem, saltem probabilem dat concludendi rationem, materiæ prime conditionem ejusmodi esse, ut naturaliter suo complemento carere nequeat. Quod vult P. Aler, materiam in primâ creatione rerum fuisse informem, idque sentire S. August., aliósque Patres, eosque in eo approbari à S. Thomâ, credibile non est: certè S. Aug. apud Angelicum Doctorem docet tantum, informitatem materiæ origine vel ordine nature præcessisse formationem. Ipse S. Aug. l. 13. conf. c. 33. loquens de materiâ & formâ sic DEUM alloquitur : *simul utrumque fecisti, ut materiam formia nullâ morâ intercapidine sequeretur.* Alii SS. PP., quando volunt, quod informitas materiæ tempore præcesserit formationem, per informitatem intelligunt carentiam ornatus &c. ut infra dicetur. Dum idem contendit, materiam primigeniam per partes disponi ad receptionem animæ rationalis, illâ inque non infundi, nisi tota sit disposita, in cōque casu partes dispositas amittere formam embrionis, adeoque esse naturaliter sine omni formâ : nihil per hoc lucratur, etiam permisâ ipsi formâ Embrionis ; nam sicut anima non requirit æqualem organizationem in singulis partibus materiæ; sic nec ad primam suâ infusionem ; adeoque infunditur simul omnibus partibus illius minimi naturalis, licet non æqualiter dispositis. Accedit, quod si *corruptio unius sit generatio alterius*; non vanum indicium esse, causam vel particularem, vel universalem semper materiæ de novâ formâ providere : quod multe formæ accidentales v.g. lux, sonus &c. destruantur sine substitutione novæ formæ accidentalis ; ideo est, quia non destruuntur actio-  
ne positivâ; sed per solam subtractionem actionis con- serva-

servativæ. Materia quidem non dependet à forma, tanquam à priori, dependet tamen à posteriori, tanquam perfectione naturaliter requisitâ, & suo complemēto: quòd anima rationalis, quamvis ens incompletum, existat naturaliter sine materia, hanc ei prærogativam concedunt speciales, & principaliores operatio-nes, quas extra corpus elicit. Cùm materia se habeat tantum pro priori naturæ ad formam; existit quidem sine illa, si τὸ sine sumas præcisivè, secùs, si exclusivè. Aliud est de causa efficiente, quæ est quid completum, & non constituit cum suo effectu unum per se. Aristoteli itaque, D. Th., Scoto, & communibus Philo-phorum placitis accedendum est. Quod formam ma-teriale attinet, cùm illa naturaliter non producatur, nisi per actionem dependentem à materia, etiam non conservatur naturaliter independenter à materia, quia conservatio rei est continua productio rei.

Nihil tamen obstat, quòd minus materia, & forma supernaturaliter separatae existant. In nullis enim imprimis materiae prædicatis reperitur essentialis connexio cum forma: sit enim à Deo per solam creationem inde-pender ab omni forma: ergo ab illo potest conser-vari independenter ab omni forma: existentiam à forma non habet; & esto, illam haberet; an haec à divina po-tentia suppleri non possit? certè juxta ipsos Thomistas materia prima Christi existit per existentiam verbi. Sed aīs, formam hīc tamen requiri tanquam dispositionem, sicut perspicuitas requiritur ad hoc, ut corpus recipiat lucem. Contra est: potest Deus supernaturaliter pro-ducere lucem in corpore non perspicuo, sicut ignem in ligno non disposito: ergo à pari. Cur accidentia magis possint supernaturaliter existere sine subjecto, quām ma-teria sine forma? Licet autem accidentia sint actus deter-

determinati, materia pura potentia physica, est tamen proportionata ad hoc, ut actu terminet actionem sui productivam, est determinata ad certam speciem entis incompleti, manet receptiva accidentium, emanativa suarum proprietatum, ac deum Dco non deerunt fines, quare sic conservet materiam. Non est de essentiâ materiae actu recipere formam, sed esse illius receptivam: actualis receptio realiter distinguitur à materia; & hinc intelligis, cur Deus sit semper actualiter producens ad intra, quia hæc productio identificatur Deo. Falsum etiam est, talem imperfectionem convenire materiae, qualis perfectio convenit Deo; quia Deus ita est perfectus, ut excludat à se omnem imperfectionem, adeoque & rationem partis; è contra materia non est ita imperfecta, ut excludat à se omnem perfectionem, adeoque nec excludat à se hanc perfectionem, quod possit seorsim sola existere. At reclamat D. Th. quodlib. 3. a. 1. dicens: *quod aliquid sit, & non sit, fieri non potest: neque aliquid involvens contradictionem, & hujusmodi esse materiam sine forma.* Et iterum 1. p. q. 66. a. 1. Dicere, materiam esse sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem. Item ibid. a. 3. Magis repugnat materia esse in actu sine formâ, quam accidenti sine subiecto. Sed si hæc D. Th. loca adeo clara & plana pro Thomistis; cur contra Magistrum suum hic nobiscum facit Sotus? an credidit, explicari S. Doctorem posse, quod contradictionem implicet, materiam esse sine omni actu, vel forma tam accidental, quam substantiali, tam sine omni actu entitativo, quam physico? aut non attentâ hac in parte Magistri authoritate, rationem potius contrariam fecutus est? utrumvis fecerit, magis erit ignoscendum nobis. Nos breviter sic dicimus: in casu materia esset in actu entitativo sine

sine actu physico: non foret sine omni forma accidentalis, maximè modalis; quia implicat rem creatam esse, & non esse alicubi & aliquando.

Quod de materia diximus. idem sentimus de formis materialibus. Dum Card. Ptolomæus vult, formas materiales esse modos non puros, identificantes quidem sibi perfectiones absolutas, & prædicata illa omnia, quæ nos formis substantialibus tribuimus, sed identificare sibi actualem dependentiam à materia: audiendus non est; si enim hæc dependentia non conveniat formæ materiali accidentalis, multò minus conveniet substantiali. Non potest quidem Deus supplere defectum causæ materialis *intrinsecè*; potest tamen *extrinsecè* in genere causæ efficientis actione creativâ producendo & conservando formam. Dum ait D. Th. formam à materia separatam fore *intelligibilem actu, & intelligentem*, tantum vult, quod in tali casu forma materialis haberet quandam existentiam similem intelligenti animæ separatae à corpore, cum exigentia tamen dependendi à materia. Si velit, formam tunc verè *intrinsecè* fieri intelligentem; rationem efficacem petimus.

Hoc interim in statu separationis discriminem est, quod materia conservari possit eadem actione ( si actionem cum duratione non identifices) quæ autem: secus forma: forma enim materialis pendet à priori à materia tanquam causa sustentante: ergo deficiente hoc subjecto Deus in genere cause efficientis supplere debet, conservando illam actionem creativâ, quæ actio non potest à forma materiali exigiri. De materia separata aliud est; quia in statu separationis manet eadem causa, scilicet Deus; idemque terminus actionis conservativa, scilicet materia, quæ sola hanc actionem terminat, manente eadem causâ actionis, eodemque termino manet eadem actio. Licet etiam per-

mitta-

mittatur, decretum, quo decernit Deus conservationem  
 materiæ sive formæ, esse diversum ab eo, quo decernit  
 eam conservare formæ unitam: cum nobis ex Theologia  
 supponere liceat, actiones Dei ad extra non specificari  
 fine, non habebitur causa alia specificans conservationem  
 materiæ. Atque hinc deducitur, actionem conservati-  
 vam materiæ sive formæ non esse supernaturalem, ne qui-  
 dem *quoad modum*, id est, actio illa etiam in his circum-  
 stantiis exigitur ab aliqua substantia creata, scilicet ab ipsa  
 materia; ita cum Suarezio & aliis RR. communius. *Ra-*  
*tio* brevis est, quia materia in statu separationis exigit po-  
 tius esse, quam omnino non esse; quia res permanens exi-  
 git conservari, quandiu non perit causa ipsius productiva,  
 neque aliud aliquod contrarium exigit ipsius destruc-  
 tionem; causa autem productiva non perit, utpote solus  
 Deus; nec adest contrarium, quia materiæ tanquam sub-  
 jecto omnium primo nihil contrariatur. Non requiritur,  
 quod volitio conservandi materiam, ut sit naturalis, pro-  
 fine habeat ipsam formam; sed sufficit, quod habeat pro-  
 fine satisfacere exigentia materiæ, quæ spoliata licet fine  
 suum primarium non habeat, habet tamen adhuc fines  
 suos secundarios: & quanquam ipsa actualis separatio ipsi  
 violenta sit, & supernaturalis; illâ tamen suppositâ per-  
 git exigere sui conservationem, & conservatur naturaliter;  
 sic ignis impeditus, ne quid ex vicinis objectis facilè flam-  
 mam concipientibus accendat, adhuc naturaliter quoad  
 suam entitatem conservatur. Introductis dispo-  
 sitionibus contrariis formæ existenti in materia, illa non  
 conservatur naturaliter; quia adest agens fortius in con-  
 trarium. Ubi hoc notandum, materiam non existere na-  
 turaliter sive omni forma; si per *re existere* significetur  
 prima ejus ab omni forma spoliatio; secus si per *re existere*  
 significetur ejus conservatio, quæ spoliationem sup-  
 ponat.

Lubis

Dubitatur 3tiō, an materia possit existere sub dupliēi forma totali, & disparatā? Non placet cum Bonae Spei, duplīcem materiæ formam naturaliter concedere : vel enim forent homogeneæ; & tunc una erit superflua; vel heterogeneæ; & tunc se non compatientur ob dispositio-nes contrarias. Accedit communis Philosophorum sensus; & nulquam hujusmodi coniunctionis vestigium in naturā deprehendimus. Quod de ferro cādente objec-tūtur, nihil est, cum sit indubitatum, ignis & ferri sub-stantias invicem permixtas reperi, insinuante se flammā penitus in ferri poros, in quibū latet materia viscosa propriam habens formam. Quod ferrum dicatur to-tum urere, inde est; quia particule igneæ in poris laten-tes undique ferro adh̄erent, adeoque quidquid facit ignis ille latens, tribuitur ferro maximē, quia calor, aliisque accidentia, ab igne causata, etiam recipiuntur in materia ferti. Sive in monstribus v. g. hominibus, plura capita &c. habentibus, naturaliter detur una, vel multi-plex anima, nihil contra nos evincit: si enim una tantūm; illa informabit omnia membra, utpote conti-nuata: si multiplex, singulæ diversas materiæ partes occu-pabunt.

At dicere cum Thomistis, quod duæ formæ nequā-dem divinitū eandem numero materiam possint infor-mare, Dei omnipotentiam coarctat. Quæ enim in eo repugnantia? Materia unam recipiendo formam retinet capacitatē ad alias successivē habendas pro statu natura-li; cur non habeat ad plures simul recipiendas pro statu supernatura-li? Neque est ea formarum substantialium oppositio, quam DEUS non possit vincere; contrarie-tas dispositionum ( quanquam DEUS possit conservare formas sine dispositionibus ) tanta non est, quin divini-tus

tus simul stare possint in summo gradu, sicut in Christo conjungi se passa sunt summum gaudium, & summa tristitia. Ubi hoc notandum, materiam esse capacem naturaliter recipere plures formas simul; si *rd natura*ler cadat supra *rd capax*; secus si cadat supra *rd recipere* simul plures. Si enim materia naturaliter in eapax foret, vel recipieret duas formis retinendo suam incapacitatem, vel DEUS illam deberet supplere. Non autem, ut certum est: Non *adum*; vel enim DEUS id ficeret per se ipsum, vel per aliquid superadditum? non per se ipsum, iut patet. Non per aliquid superadditum, si enim materia naturaliter capax sic illud superadditum recipiendi; cur idem dici nequeat respectu formarum? Eodem modo ratiocinandum de incompossibilitate naturali duarum formarum. Tota itaque incompossibilitas, que intercurrit, tenet se ex parte agentium naturalium, ut pote quæ non habent vires activas, neque exigentiam ad hoc, ut eidem materie plures totales formas adjungant: quas vires cum in genete cause efficientis DEUS supplexe possit, nostra assertio tenenda est. At una forma expellit aliam? ita est: sed *in actu primo*, non *secundo*. Incompossibilitas formarum *radicalis*, *exigativa*, *intrinseca* est iadistincta, & intollibilis à forma; non incompossibilitas *extrinseca* & *in actu secundo*. Effectus *secondarius* formæ est expellere veterem: quid impedit, quò minus DEUS hunc impedire possit? Acciperet quidem materia in eo casu duplex esse primum, at positivè tantum, in ordine nempe ad singula composita, non exclusivè: resultarent enim duo composita inadæquate distincta. Nec, si ponas, formam hirci & formam cervi uniri eidem numero materie, resultantem inde metuas hirco-cervum. Si albedo & dulcedo sint in eadem parte materie, verum est dicere; *albus est dulce*; at non

ideò præcisè, sed quia concreta accidentalia important in recto subjectum: sic iterum verum est dicere: *homo est DEUS*; at non ideò, quia natura humana & divina sunt in Christo, sed quia in concretis divino-humanis persona importatur in recto. At ut vera sit proposition: *hircus est cervus*, non sufficit, ut illæ formæ sint unitæ eidem materia, verùm requiritur, ut inter se sint identificate; cum enim compositum importet omnes partes in recto, dicta proposition sive exponi debet: *materia, forma hirci, ejusque unio est materia, forma cervi, ejusque unio*; quod patet esse falsum. Hæc proposition vera ficeret, *materia habens formam hirci est materia habens formam cervi*: sed ubi hic hirco-cervus. Denique superfluitatem, ut ex duplice formâ natura horreat, non est: otiosum non est, quod actuat materiam, & novam compositi speciem inadæquatè distinguitam exhibit: superfluum non est, quod naturæ fecunditatem, & materiæ capacitatem, & Dei virtutem ac beneplacitum commendat. Sufficienter quidem materia exigentia expleta est per unam formam ad constituendum unum compositum; ut tamen duplex inadæquatè compositum prodeat, aliam simul formam recipiat necesse est, quæ non superveniet toti composito, sed soli materia, cum quâ novum compositum constituet, per quam consequenter non compleatur in ordine ad primum, sed ad secundum compositum; quod cum inadæquatè semper distinguitur à primo, omnis facile contradic̄tio evitatur. Postremum hoc adverte, quod, licet permetteretur, formas, quæ exi-  
gunt dispositiones & proprietates essentialiter incompos-  
tibiles, non posse simul stare in eadem parte materiae,  
inde non sequatur, nullas omnino stare posse.

*Infertur*, his positis, difficultatem majorem exurge-  
re non posse in quæstione illâ: an eadem numero for-  
ma

ma plures materias discontinuas informare possit divinitus. Quae enim hic implicantia? nonquid vel DEUS facere potest duas materias sese compenetrare? vel formam potest replicare, eamque hic unire uni, alibi vero alteri materiae? Potest protecto procurare compenetrationem rerum quantarum; idemque ponere in duobus locis, etiamsi non petatur, ut fiat circumscriptivè, sed satius est, sit modo definitivè. Manebit autem utraque materia subjectum totale *totalitate positivâ*, ita habens formam unitam, ut nulla pars forme illi subjecto non sit unita: non autem *totalitate exclusivâ*, ita ut forma etiam non existat in alio subjecto: Quod frustra Thomistæ ad rationem subjecti totalis requirunt. Idem facile alteri phrasí applicabis, quod materia exhauiat totam actualitatem formæ. Habebit autem illa forma duplicum effectum formalem primarium, non adæquate, sed inadæquate distinctum.

## *Existentia modorum & unionis.*

**H**abemus nunc materiam & formam in sensu Aristotelico, at nondum compositum; nexus enim utriusque deest: hunc, quem *unionem* appellamus, requirunt omnes; at an indistincta illa sit, an distincta, & quomodo, ab extremis, controvertitur. Qui distinctam contendunt, modum appellant. Quâ occasione modorum natura breviter præmittenda est.

Modum igitur appellamus *entitatem essentialiter affixam rei indifferenti solo titulo ultima & actualis determinationis*. Reducuntur autem ejusmodi entitates communiter ad quatuor classes, videlicet ad *actionem & passionem*, ad *ubicationem & situm*, ad *durationem*, ad *unionem*. Entitates ejusmodi (sive realiter inter se distinctas, sive non) admittere, dira cogit necessitas: quia plures dantur denominationes v. g. *causam actu causare*, *rem esse in hoc loco, in hoc tempore &c.* Quae non possunt haberi sine entitate aliquâ distinctâ; potest enim haberi hæc causa; & hic effectus &c. quin habeatur causa actu causans hunc effectum; item dum dicitur actu causans transit à contradictrio reali ad contradictorium reale: quomodo autem hæc concipientur sine entitate aliquâ superadditâ? aut quomodo intelligatur sublata indifferentia *physica* sine novâ determinatione? dico, *physica*, indifferentia enim *logica* non tollitur formaliter per entitatem distinctam. Nec juvant Amodistas diversi sui respectus & connotationes, cause, v.g. ad hunc effectum, Petri ad hunc locum: rōgo enim, illi respectus & connotationes an superaddant aliquid cause; & Petro, an non? si non; manet indifferentia: si itâ; habetur modus distinctus. Item ille respectus antea non erat; & jam est: quid hoc est plus? Denique ubi datur novus respectus, dati debet novum illius fundamentum, quod autem non dabatur; quodnam illud? sed *inquires*: si entitas distincta tollat indifferentiam, tollet rem ipsam, ut pote cui indifferentia identificatur. *Negatur sequela*. Indifferentia cause v.g. ut causet, vel non causet, est ipsa entitas cause potens causare cum negatione causalitatis: atqui positâ causalitate tollitur hæc negatio: ergo tollitur pars indifferentiam cause constituens: ergo impliciter tollitur tota indifferentia; neque tamen tollitur causa.

Saltem

Saltem DEUS non poterit conservare , vel producere ejusmodi entitatulas, sine aliâ re distinctâ, sive sine modicato. Quid tum : certè sicùt non præjudicat libertati Dei , quod nequeat producere hominem , quin sit animal rationale; itâ neque, quod nequeat producere vel conservare modum, quin producat vel conservet modicatum, cum illius essentia sit huic esse affixum. Modus ad suâ productionem non necessitat DEUM; sed posito, quod eum velit producere, necessitatē sibi impo- nit producendi modicatum. Distinguunt autem modus strictè realiter à modicato, licet possit ab uno ex- tremo vocari distinctio modalis: omnia enim, quæ rea- liter separabilia sunt, sive mutuò, sive non mutuò, realiter strictè distinguuntur. De mutuò separabilibus, ad- mittit Exim. P. Suarez: at de non mutuò separabilibus aquè clarum videtur: nam licet A v. g. possit existere si- ne B, at non vicissim, A tamen distinguitur strictè realiter à B , quia alias posset existere sine se ipso. Si enim A est B, & tamen possit existere sine B, jam A potest existere sine eo, quod est A: sed si hoc poslit, jam A potest existere sine A: ergo. Hinc licet modus non pos- sit existere sine modicato , at tantum contrâ : admit- tenda tamen est distinctio strictè realis. Qui volunt , modum *virtualiter* tantum à modicato distinguiri ; ali- unde ex Metaphysicâ refellendi sunt.

Ex his concludimus, unionem physicam esse modum extremis realiter superadditum. *Modum* dicimus; quia perfectior entitas admittenda non est, quam requiratur ad effectum, propter quem talis unio admittitur. Esse autem aliquid realiter distinctum ab extremis, brevissi- me sic convincitur, quia possunt existere extrema, & ta- men non esse unita; adeoque , ut physica hæc indiffe- rentia tollatur, accedere debet aliquod determinativum,

quod est unio. Unde non satis est, duo extrema esse *intimè penetrata*, pone enim materiam animâ Pauli informatam; penetrat hanc materiam anima Petri: utraque anima erit præsens, & una informabit. Et cur hoc? quia unio deest pro alterâ. Non satis est, extrema esse *ritè disposita*; potest enim DEUS unire formam nudæ materiæ sine dispositionibus; aut dispositæ reddere animam intimè præsentem, & nolle, ut anima illam informet. Nec sufficit decretum Dei, cuiuscunque demum ponatur esse tendentia; nam semper volet aliquid à se distinctum; non solam materiam & formam, aliàs in morte hominis haberetur totus homo; ergo aliquid distinctum, quod est unio. Præterea intima præsentia, dispositiones, decretum Dei sunt aliquid distinctum à materia & forma; ergo ad compositum requiritur aliquid ab iis distinctum: vel ergo illa sunt ipsa unio, vel tantum connotata? non primum, aliàs vel compositum substantiale constitueretur ex accidente, vel Dei decretum erit unio intrinseca inter materiam & animam v.g. equi. Non secundùm; quia aliàs iis deficientibus debet deficere consecutivè aliquod constitutivum hujus complexi: *materia & forma unita*: hoc non fieret; quia juxta Adversarios complexum illud nihil essentialiter est præter materiam & formam, quæ utraque manet. Deficit autem: ergo propter aliquid ab utrâque distinctum. Aliæ phrases sunt, quod materia & forma possint quidem esse secundùm se, & non uniri, non tamen materia *ut sub formâ*, & forma *ut in materiâ*. Sed quætitur, quid illud *ut superaddat*. Per decretum Dei materia non nisi *radicaliter & efficienter*, per unionem vero distinctam *formaliter* unitur formæ. Materia & forma exigunt exercere rationem *actus & potentia*; haec exigentia est illis *essentialis*: *actu autem exercere est illis*

temp

contin-

contingens. Uniuntur etiam *immediate*; unio enim non impedit immediatam connexionem partium, sicut visio non impedit, quod minus oculus immediatè videat colorem: utraque enim tantum mediat *ut quo*; & cum unio sit per suam essentiam ipsum exercitum uniendi, hinc nec indiget aliâ unione sui ad partes: quod proportionate de omnibus aliis modis intelligendum est.

Est igitur realiter distincta ab extremis; at in compositis habentibus formam educitam non est necesse eam distinguere ab actione educitiva formae: ergo neque distinguenda est. Cum enim modi unicè ex necessitate admittantur, cui ea necessitas amplior, vel restrictior videtur, eo plures vel pauciores modos admittit. Certè qui in iis admittendis adeò est liberalis, videat, quomodo Amodistarum risus & dictaria à se repellat. At dices: in equo v.g. unio est substantialis, actio verò educitiva animæ equinæ accidentalis. Infirmum sane argumentum; quid enim obstat, quod minus actio productiva formæ substantialis possit esse modus substantialis; sicut etiam quæcunque relatio non constituit speciale prædicamentum accidentis. An forte series illa ab Aristotele descripta tanti momenti, ut in primâ rei productione ad illam debuerit reflectere Deus, & actionem ab unione distinguere? Ad hæc si actio ejusmodi productiva sit simul pars compositi, non est propter aliquid à se adæquate distinctum (forma quidem educita est ejus terminus; sed propter illam solum cur intendatur necessariò?) adeóque etiam ex hoc capite non erit necessariò accidens. Accedit, quod æquè sit ultima actualis determinatio causæ ad agendum, sive sit substantialis, sive accidentalis: adeóque non videtur posse dari efficax ratio, quare saltem actio non possit esse substantialis. Ac licet forte argumentum efficax directum

non prober, actionem esse substantialem; non deest tamen reflexum, quod scilicet, si actio sit modus substantialis, possit hoc praestare, quod alias praestat unio distincta, & simul, si unio identificetur actioni, etiam eidem possint identificari ubicationes & durationes, quas alias propè infinitas debet admittere Adversarius, nisi tandem aliquam ubicationem & durationem ipsi actioni eductivæ identificet; ut infra dicetur. Hinc falluntur Adversarii, qui supponunt, quod fundemus dictamen nostrum in hoc, aut simili principio: *modus entis sequitur naturam sui entis*; hoc enim falsissimum esse patet. Sed quid de calu sequente? moriarur brutum, remanente supernaturaliter corpore & anima: jam perit actio conservativa bruti: ergo hujus actionis aliquis debet interire terminus: non corpus & anima: ergo unio. Item corpus & anima in calu non constituant compositum brutale: ergo actio, quâ dicitur generati, debet habere aliquem terminum: non corpus, nec animam; quia supponuntur existere: ergo unionem. *Observeo*, falso esse, quod quæcumque actione conservativa pertinente debeat necessario petire aliquis terminus; uni enim potest succedere alia: item quod quoties est nova actio, toties debeat esse novus terminus; quia actio conservativa succedens non habet novum terminum, deinde idem terminus per secundam actionem de novo potest produci, sicutem supernaturaliter. Quo observato, dico, quod, quando hodie est corpus & anima bruti, & cras prius actio unitiva animæ cum corpore bruti, fiat novum compositum per hoc, quod actio unitiva semetipam communicando constituat cras compositum bratile, qualis actio hodie non fuit: que actio etiam habebit suum terminum, eandem scilicet animam. Ubi iterum adverte, non dici, quod quæcumque actio

pro-

productiva vel conservativa formæ sit unio; sed ea, sive primò formæ è materiâ eductiva, sive conservativa , vi cuius forma physicè est in materia , & cum materia constituit aliquod totum substantiale : quod si jam hæc actio pereat , & nulla, quæ eodem munere fungatur , succedat, perit compositum formaliter, quia perit pars essentialis compositi. Ultimus denique admovetur artes, sic nullum in nostris principiis fore totum *permanens* , & singulis instantibus aliud esse compositum; cum enim durationem actioni infra identificabimus, singulis instantibus erit nova unio. Sed conditionatè redéo : vel *τὸ permanens*, & *τὸ idem*, sumis in omni rigore secundum omnes partes & ut *quod*, & ut *quo*; vel tantum respectivè ad partes *ut quod*. Si hoc; evidenter habes totum *permanens*, & idem secundo instante compositum. Si illud; tale non habebis. Non judicamus autem esse necessitatem sufficientem aperiendi januam tot modis; eò quod sine illis *τὸ permanens*, *τὸ idem*, in tali rigore acceptum non possit convenire composito. Reliqua, quod scilicet actio eductiva sit prior unione , per eam formæ tantum sit in materiâ tanquam *subjecto sustentationis*, per unionem tanquam *subjecto informationis* , solam prioritatem rationis, & diversos conceptus denotant, ut benè notat P. Suarez.

Dicenda autem est actio substantialis , quia unio in composito substantiali necessariò est substantialis entitative : constituit enim partialiter primam radicem operationum primiarum toti substantiali convenientium: hâc enim sublatâ non habetur prima & adæquata radix. Non est quidem necesse, ut denominatio, quæ convenit toti, conveniat singulis partibus: nec obstat , quò minus totum sit substantiale, licet partes ad diversa prædicamenta spectent; item totum sit absolutum, licet una pars sit

modalis. At nullâ ex his rationibus utimur, sed eâ pottissimum quod accidens non possit esse pars substantiae. In aliis denominationibus ad earum naturam, acceptiōnem vocum, & usum loquendi attendendum est. Ad totum v. g. modale requiritur, ut omnes illius partes essentialiter affixæ sint alteri adæquatè distincto.

Interim unica est unio in composito. est enim ex suo conceptu nexus duorum extremorum: ergo implicat dari unicam, quin detur compositum. Potes quidem intelligere materiam unitam formæ, quin in recto concipias formam unitam materiæ; manebit tamen forma per eandem unionem physicè unita. Nec tamen, licet eadem forma sit, denominabit materiam informantem, & formam recipientem; eadem enim forma duplē dare potest denominationem, singulas singulis subjectis capacibus; ut patet in cognitione, à qua intellectus denominatur cognoscens, & objectum cognitum. Connexiones ille, quæ important indigentiam & dependentiam unius ab alio, necessariò mutuae non sunt quoad dependentiam: interim de essentiâ omnis connexionis est, denominare duo conexa; impossibile enim est, A esse connexum cum B, quin B sit connexum cum A; licet semper illa connexione non teneat physicè ex parte B, sed physicè ex parte A, & saltem denominativè ex parte B.

Hæc unio in composito substantiali pro subiecto denominationis habet materiam & formam; quia utrumque hoc extremum denominatur unitum. Si distinguatur ab actione creativa animæ, recipitur in sola materia, & animam afficit tanquam terminum *intrinsecum tantum*; expedit enim, ut potius in materia, quæ est potentia; & sola disponitur ad receptionem formæ; quam in forma, quæ est actus, subjectetur. Si unio identificetur actioni creativæ, anima erit tantum subiectum adhæsionis, & simul cum

cum materia subjectum denominationis. In ceteris compositis subjectatur in sola materia; quia in iis est eductio; quæ actio cum sit prior formâ, pro illo priori utique habet subjectum: non formam: ergo materiam. Formam esse unitam materiae, est quidem denominatio intrinseca; sed ad hoc sufficit, ut terminetur ad formam: sic Verbum Divinum dicitur intrinsecè unitum humanitati Christi, & tamen unio non subjectatur in Verbo, neque illi inhæret. Quod perficit alterum, non necessariò recipitur in illo, ut patet in materia perficiente formam: falsa est haec propositio: *unio non perficit Verbum Divinum, quia non subjectatur in Verbo;* sed unica ratio est, quia Verbum non est capax ullius perfectionis acquirendæ. SS. PP. non mirantur, quod unio non subjectatur in Verbo, cum tamen Verbum uniatur Humanitati: sed, quod Verbum non mutetur per illam unionem intrinsecè. Difficultatem hanc examinent Theologi.

Quæres, An unio in homine sit materialis? Et affirmativè, ex hypothesi, quod distinguatur ab actione creativa: sic enim producitur ab agentibus naturalibus dependenter à materia. Non est quidem unio materialis proportionata animæ secundum entitatem, est tamen proportionata in ordine ad hoc, ut animam connectat corpori: sicut enim unio hypostatica, licet sit creata, potest unire Verbum increatum Humanitati: ita hic.

## Compositum & Subsistentia.

**C**orpus igitur naturale intra suam essentiam physicam claudit materiam, formam & unionem: unde unio

non

non est conditio solum essentialiter requisita ad hoc, ut habeatur totum substantiale: sola enim sublatâ unione, non habetur totum. Unde materia & forma unita non sunt compositum, neque compositum & unitum sunt idem, nisi rō *compositum* sumas *adjectivè*: nam compositum importat omnes partes in recto. Materia & forma non sunt determinata ad esse, sed ad *constituere* compositum. Compositio seu totalitas dici potest forma metaphysica compositi.

Formam enim totalitatis *physicam*, & à tribus istis realiter distinctam non agnoscimus. Unde totum nihil aliud est præter partes in recto sumptas. Ita contra Scotistas communiter extra illorum Scholam alii communissime. De Benedictis ferth hoc de Doctore subtili judicium, quod antea contrariam sententiam docuerit, sed postea retractârit: quia multis probat hanc conclusionem: *Totum est sua partes.* Videtur autem manifestè pro nobis esse Aristoteles: hic enim 4. *Phys. textu 23.*, explicatur, quid sit inesse per identitatem, responderet. *quod sit ita inesse, ut totum est in partibus.* Dum substantiam dividit in materialiam, formam & compositum, rectè dividit, sicut rectè dividitur in completam & incompletam: dum ait, sex non esse bis tria, ea scorsim accipit; cui enim clarum non est, bis tria collectivè sumpta esse sex? Dum vult totum non esse acervo simile, sed aliquid præter partes; vult aliquid esse in toto substantiali, quod non est in toto per accidens, vel per aggregationem, scilicet unionem substantialem. Sed pergamus ulterius. Pone materialiam, formam, unionem; præscinde omne aliud superadditum: unum habebis: non simplex: ergo compositum. Habetis præcisè partibus integrantibus, & earum unione continuativâ, habetur totum integrale: habetis præcisè subiecto, albedine, & unione habetur hoc totum, *album,*  
quod

quod plures concedunt ex Scotistis : cur habitis præcēdēt  
materiā, formā & unione substantiali, non habeatur to-  
tum substantiale ? Denique illa entitas realiter superad-  
ditā, quæ constitueret compositum in ratione compotiti,  
vel esset tota essentia v. g. hominis , vel esset pars illius  
essentiæ non primum; si enim illa entitas, realiter distin-  
cta ab omnibus constitutivis simul collectivè sumptis ,  
esset tota essentia hominis , ergo corpus & anima non  
essent partes essentiales: quia illa entitas, quā totum con-  
stituitur, non componitur ex materiā, formā & unione,  
cum supponatur realiter distincta: ergo si illa entitas di-  
stincta esset essentia hominis, corpus & anima non essent  
partes essentiales hominis. Non etiam secundum; nam  
si illa entitas esset pars compotiti vel essentiæ, non foret  
totum , consequenter non bene statueretur in eo ratio  
totius. Accedit, quod si compositum adæquatè identifi-  
cetur isti entitati, illud verè non potest affirmari de par-  
tibus in recto sumptis, neque hæ de illo, contra illud S.  
Athanasii : *sicut anima & caro unus est homo, ita DEUS*  
*& homo unus est Christus;* & contra illud S. Aug. l. 7.  
de Trin. c. 4: *corpus & anima est totus homo.* Quid-  
quid adhibetur explicationum, quod materia & forma  
possint dici partes quartæ illius entitatis vel totius , se-  
quens semper in promptu sit Achilles: ergo debent in-  
cludi in illo: sed si non includantur per identitatem sal-  
tem inadæquatam, hæc inclusio explicari non poterit: non  
enim includuntur per puram præsentiam localem: non  
per intimam præsentiam tantum & unionem, ut forma  
in materia; nam propterea forma non est pars materiæ ,  
nec aliquid illius , nec de illius essentia: ergo debent sin-  
gulae includi in toto, quod cum illo inadæquatè iden-  
tificantur. In promptu habemus partes totius numeralis,  
& accidentalis. Implicare qui dicunt, partes esse unitas

fine

sine quartâ illâ entitate , par contradicitoriorum edant ,  
 necesse est. Compositum habet unitatem , sed compo-  
 sitionis , non simplicitatis : etiam transcendentalē ,  
 quod exigit non esse plura talia , quale ipsum est. Ma-  
 teria & forma non sunt , sed faciunt compositum , sicut  
*unitas non est numerus , sed facit numerum*: faciunt ergo  
 materię & formę compositum se ipsas formaliter com-  
 municando; ad quod non requiritur , ut aliquam par-  
 tem in toto causet. Recurrit totum accidentale , quan-  
 titativum , & numerale. Quidquid dixeris de toto , di-  
 cere poteris de partibus collectivè sumptis: sic totum di-  
 citur videre , audire , ambulare ; anima , corpus & unio  
 collectivè , non distributivè , sumpta , sunt unum videns ,  
 audiens , ambulans. Si quis velit præscindere ab omni  
 collectione , distributione , & actu intellectus , per quem  
 illæ tantum habentur : pete , ut tibi permittat uti pro-  
 positionibus : & sic intelliger , te nec affirmare , nec ne-  
 gare posse aliquid de partibus , nisi in aliquā sumantur  
 suppositione: & sic planum fiet , quod nihil intendamus  
 aliud , quam quod , si dictæ partes debeant dici cause ,  
 non omnes , sed singulæ , aut aliquæ tantum debeant  
 importari in recto : si autem compositum , omnes. Hoc  
 proinde diligenter *notandum* , quod verè dicatur : *par-*  
*tes distributivè sumptæ causant totum* , quia hæc propo-  
 sitio explicanda est per tres alias similiter veras: *materia*  
*est causa intrinseca* , sive pars totius , *forma est causa in-*  
*trinsicæ* , *unio est causa intrinseca* : falso autem : *partes*  
*collectivè sumptæ causant totum* , quia hæc æquivalet alte-  
 ri falsæ , nempe huic : *complexum ex materia , formâ &*  
*unione est causa intrinseca* , sive pars totius. Distinctio  
 inter *causam intrinsecam adæquatam* , & *inadæquatam* ,  
 manifestam involvit repugnantiam , qualis est in his , *par-*  
*s adæquata* , *par inadæquata*. Causæ extrinsecæ inadæ-  
 quatax

quatæ unam adæquatam constituere possunt, quia distinguuntur adæquate à suo effectu &c. *Idem* in nostrâ sententia identificatur tribus realiter distinctis, non distributivè sed collectivè acceptis, & quidem non idem simplex, sed compositum. *Si inquis*, sequi, quod negatio quartæ vel tertiae entitatis sit de essentiâ compositi: cur non ais, quinta, sexta &c.? ablatâ igitur negatione illius quartæ entitatis composito nihil demitur, sed illud manet, quale antè erat. Pone accedere Angelum, collectio tamen, constans v. g. ex corpore, animâ rationali, & unione, quæ ante erat homo, manet quoque nunc homo, licet altera collectio, exurgens ex illis tribus & Angelo, non sit homo.

Hic pedem fixè Philosophi Gentiles; suppositi enim & subsistentiæ à substantiâ distinctio illis incognita, nobis per fidem innotuit. Est autem *subsistens* forma denominans naturam sistentem in se: quod si natura fuerit completa, dicitur *suppositalitas*; & si insuper sit rationalis, *personalitas*. Volunt Wadingus, Maign. & omnium acerrimè Typhanus, subsistentiam, etiam creatam (in divinis adæquate positivam, & naturæ identificatam supponimus) solâ ratione distingui à naturâ. Sed contrariatur D. Th. opusc. 37. de oppositis c. 4. inquiens: *in solo Deo idem omnino est suppositum & natura*. Et verò in Christo datur natura humana, nec tamen datur personalitas humana: quomodo ergo illa potuit esse identificata naturæ humana? Si cum Raynaudo dicas, subsistentiam esse naturam connotantem negationem unionis cum alio, naturam, quæ sit sui juris, habitans in propriis latibus, & non spectans ad alienam familiam; talém autem in Christo non dari. Sed redeunt argumenta Connotatoribus obmoveri solita. *Nec jurat dicere*, quod subsistens humana tollatur tantum per additionem

ditionem personalitatis divinæ , non verò per detractiōnem alicujus. *Contra est* : per additionēm non tollitur nātūra , & tamen tollitur subsistentia ; ergò est quid distinctum. Item ergò non dabitur subsistentia , nisi det-  
tur negatio illius superadditi: ergò importat hanc nega-  
tionēm.

Importat itaque subsistentia creata aliquid realiter dis-  
tinctum à nātūrā. Sufficit autem negatio omnis unio-  
nis perfectivæ cum alio : nulla enim est necessitas ad-  
mittendi subsistentiam positivam realiter distinctam à na-  
tura: per hoc enim præcisè , quod natura completa non  
sit unita cum alio perfectivo sūi , neque ex naturā suā  
ad hoc ordinata , habentur omnes effectus subsistentiæ ;  
est negativè completa , sistet in se per modum totius ,  
quia non existet in alio tanquam pars ; erit incommu-  
niciata & incomunicabilis in sensu composito negotio-  
ni; sua & quasi juris sūi ; & hæc est quædam moralis  
dignitas naturæ. Accedit , quod Sancti Patres nunquam  
contra Nestorianos recurrerint ad entitatem aliquam po-  
sitivam superadditam , sed constans apud illos hoc fuit  
principium , quod in Christo ideo non sit persona huma-  
na , quia adest unio physica humanitatis cum verbo. Ubi  
hoc *observa* , quod illi , qui cum Ov. Arr. sustinent , en-  
titatem illam , quæ sit personalitas creata , absolute stare  
posse cum unione , SS. Patrum explicationes per negatio-  
nem unionis omnino infirmas reddant: quia sic potuisset  
Nestorius & illam unionem admitt̄re , & simul illam  
entitatem positivam , quæ esset subsistentia humana ,  
adeoque potuisset adhuc asserere duas in Christo perso-  
nas. Sed , omissis clarissimis Patrum textibus , audiatur  
pro nobis Doctor Angelicus in 3. dist. 6. a. 2. ad 5.  
*Si Christus humanam naturam , quam assumpit , depone-  
ret , NB. ex hoc ipso esset homo (persona humana) illud  
con-*

conjunctum ex duabus substantiis. Item p. 3. q. 3. a. 2.  
 ad 2. natura assumpta non deest propria personalitas pro-  
 pter defectum alicujus, quod est supra naturam huma-  
 nam, quod est unio ad personam divinam. Atqui haec  
 unio nihil impedivit formaliter nisi negationem suam; que  
 proinde ex vi contradictionis erit formaliter ipsa subsi-  
 stentia propria naturae humanae. Neque hinc aliquis  
 deducat, ridiculas fuisse definitiones Patrum; debebant  
 enim illae variis & claris terminis fieri, ut variis & ob-  
 scuris haereticorum phrasibus iretur obviam. Neque Con-  
 ciliis novum est, eundem errorem diversis verborum  
 formulis proscribere, aut idem dogma sub diversâ  
 phrasî stabilite: id quod in Ephesino Concilio contra  
 Nestorium coacto accidisse testatur ipse Cyrillus, eidem  
 à Romano Pontifice Praeses impositus; dum in Apologiâ  
 contra Theodoretum afferit, in 2do & 3to Canone  
 Concilii Ephesini eandem veritatem tradi, eundem dam-  
 nari errorem: canone autem 2do definitur unio sub-  
 stancialis physica; & canone 3to absentia personae hu-  
 manae. D. Th. tantum agnoscit duos errores damnatos,  
 in terminis, non in re. Negat Typhanus, quod ullus  
 ex SS. Patribus aut antiquioribus Theologis dicat, per-  
 sonalitatem Verbi suppleuisse personalitatem humanam:  
 hoc sensu dici potest suppleuisse, quod eundem effectum  
 formalem genericum in substantiam causet, qui est con-  
 stituere cum naturâ concretum significatum, cui attri-  
 buantur actiones talis naturae. *Absumpit, absorbuit* per-  
 sonalitatem creatam, in quantum per unionem suam impe-  
 divit, ne subsisteret humanitas in se. Verbum non uni-  
 tur humanitati unione suâ perfectivâ; adeoque retinet  
 subsistentiam suam: ex duobus entibus completis non  
 potest fieri unum per se in ratione naturae, at benè in  
 ratione suppositi: natura humana est positivè complebi-

lis in ratione suppositi, per subsistentiam *increatam*, non per *creatam*: per subsistentiam increatam magis completur in ratione suppositi *divini*, non *creati*: suppositum creatum *specificativè* sumptum est unum per se; sumptum *concretivè* est unum *mōrale* tantū; unde formaliter sumptum non est perfectio substantialis, nisi *argutivè* tantum. Quod natura in ratione naturae non possit compleri per negationem, est, quia est radix operationum toti convenientium. Negatio unionis perfectivæ cum alio fundatur in naturâ per hoc, quod ratione positivæ sive completionis non inclinet positivè ad ulteriorem unionem, sed semetipsâ contenta vivat. Postremum illud observatum cupimus, quod subsistentia creata importet negationem omnis unionis cum alio adæquatè distincto à composito, vi cuius unionis natura completa pertineat ad alterum: & hinc, licet in naturâ humanâ Christi de facto adhuc detur negatio aliquarum unionum v. g. unionis cum Patre, & Spiritu S.; tamen in illâ non datur personalitas humana; quia non datur negatio omnis unionis. Debet autem rō *omnis* sumi collectivè. Item intelligitur negatio omnis unionis *possibilis* substantialiter perfectivæ, id est, negatio excludens actualem omnis unionis *possibilis* existentiam.

Q. An subsistentia præter negationem importet aliiquid positivum? Volunt aliqui ex parte formæ simul importari existentiam, vel positivam naturæ totalitatem. Sed totum pendet ab acceptione subsistentiæ: nos volamus, naturam completam importari in recto, totam formam sufficienter salvari per dictam negationem: atque ita non confundimus formam dominantem cum subiecto denominato. Ejusmodi propositiones: *est de facto personalitas Anti-Christi, fuit personalitas creata Christi, sonant, naturam Anti-Christi, & naturam Christi extitisse*

tisla affectam tali negatione : unde simpliciter negandæ sunt. Vel ad summum concedendum, quod illæ negationes quidem fuerint, sed non denominarint naturam ; ad hoc enim requiritur conduratio naturæ cum negatione, quæ tamen conduratio non est pars formæ denominantis, sed applicatio. Cum SS. PP. dicunt, nunquam extitisse personalitatem humanam Christi, volunt, nunquam extitisse naturam humanam Christi, & simul habuisse personalitatem propriam. *Ego non dico ego per negationem in ratione naturæ; sed in ratione suppositi.*

## Definitio & divisio causæ.

**A** Principiis corporis naturalis intrinsecis, ad extrinseca progrediendum est. Solet Tractatus hic communiter inscribi de causis. Unde primum nōsse oportet causæ definitionem & divisionem.

Causa, prout à puro principio distinguitur, definiri solet : *principium per se influens esse in aliquid influxu positivo & contingente.* Omnis igitur causa est principium; at non contrà: Pater enim in divinis est *principium respectu filii*, non tamen *causa*; quod ex eo præterea liquet, quod generatio in divinis sit absolutè necessaria & indefectibilis. *Influit per se*, id est, per suam virtutem, & cum quadam intentione, ac inclinatione, sive innatâ, sive eliciti. *Influit*, communicans esse effectui : per quod distinguitur à conditionibus, & dispositionibus ; hæ enim tantum præparant subjectum & causam ; illæ nullum esse effectui tribuunt, ut patet in approximatio-

ne. Caracterem autem causarum ex sequentibus dignoscet: 1<sup>mo</sup> quod concurrat ad effectum. 2<sup>do</sup> quod sit proportionata ad producendum effectum. 3<sup>ti</sup>, quod non possit assignari alia ratio, cur concurrat, nisi quia producit effectum.

Dividitur adæquatè, licet non immediate, in efficientem, finalem, materialem & formalem. Quidquid enim causatur, ab alio causatur; & sic habetur *causa efficiens*: semper datur aliquid, cuius gratiâ fit res, & habetur *finalis*: causæ naturales producunt ex presupposito subiecto; & habetur *materialis*: Datur aliquid, quo vel per quod res fit; & hæc est *formalis*. Dixi, *adæquate*; immediatius enim causa dividitur in in- & extrinsecam: intrinseca in materialem & formalem: extrinseca in efficientem & finalem; efficiens in primam & secundam &c. Ad hanc divisionem facile omnes aliæ causæ reducuntur: *moralis* enim reducitur ad efficientem: item *objectum*, in quantum movet potentiam cognoscitivam ad cognitionem, non immediate quidem; sed mediatè mediante sūi specie; in quantum verò movet voluntatem per suam bonitatem, reducitur ad finalem. *Causa exemplaris*, sive *idea*, cum dirigendo articularem tanquam forma rei faciendæ determinet effectum, reducitur ad causam formalem extrinsecam. Si in definitione præscindatur ab influxu physico, conveniet ea omnibus causis univocè: ceterū non, nam finalis & *moralis* movent *intentionaliter* tantū. Causa efficiens dicitur *autonomastice* causa; quia omnium est nobilissima.

Causa in actu primo remoto constituitur potens causare per virtutem causativam sibi adæquatè intrinsecam: possibilitas enim effectus & actionis transcendentaliter respiciuntur: quis enim dicat omnipotentiam Dei constitui

stitui formaliter potentem per ipsas creaturas possibiles : sed de his suprà satis actum est. Per quod res constituitur in actu secundo *Logico*, per illud idem *possibile* constituitur in actu primo *Logico*; hic enim est rei possibilitas, ille ejusdem existentia. Actus autem primus *physicus* est ipsa potentia operandi; actus secundus ipse actus influxus. Interim Actus primus *remotus* essentialiter in obliquo involvit aliquid negativum, nempe carentiam omnis, vel alicujus prærequisiti, ex quibus quòd plura defunt, cù remotor erit actus primus. Unde actus primus *proximus* præter entitatem causæ involvit *omnia*, prærequisita ad actualem positionem effectus, sive illa verè influant, sive se habeant tantum per modum conditionum & dispositionum; quia vel uno eorum deficiente potentia non est undequaque expedita. Inter prærequisita autem censenda est remoto impedimentorum per actum secundum non auferibilium: si auferabilia sunt, sunt effectus actus primi, adeoque eum non constituant: ut patet in homine justo; licet enim gratia sanctificans non sit cum mortali, est tamen proxime potens peccare; quia gratia est impedimentum auferibile per ipsum actum secundum peccati.

Ex quibus colliges, quid sit esse *prius*, quid *posteriorius*, *naturā*. De Benedictis sic explicat: *prius naturā* est quod constituit ipsum actum prium proximum: quod ab illo dependet, *posteriorius naturā* appellatur: ipsa dependentia est *prioritas naturae*. Ideam autem influxus, in quantum denominat causam priorem, *prioritas*; in quantum effectum dependentem & posteriorem, *posterioritas naturae* vocatur. Unde facile intelligis, quod involvatur simultas temporis inter actum prium & secundum: quia tamen eodem instanti reali datur actus secundus resultans ex actu primo, præbita est occasio

Philosophis dividendi idem instans in duo signa naturæ; in quorum *primo* concipiunt actum primum proximum in *secundo* effectum: unde neque effectus, neque negatio effectus est in primo signo; quia neutrum est unum ex constitutivis actus primi proximi. Ubi hoc advertendum, quod omnis causa creata *extrinseca* sit *saltem* naturâ prior suo effectu; quia ratione sue causalitatis est quasi *naturans*, effectus autem *naturatus*: deinde constituunt omnes causæ *extrinsecæ*, efficiens, finalis, & materialis *extrinseca* unam, & adæquatam potentiam productivam effectus. Dixi, *causa extrinseca*; causæ enim *intrinsecæ* non sunt naturâ priores suo effectu; non enim causant totum aliquid in eo producendo, nec constitutendo potentiam ipsius productivam; sed tantum se comunicando: sunt igitur tantum priores ipso composito illatione, vel subsistendi consequentiâ. Dixi iterum, *saltem*; causam enim creatam esse tempore priorem suo effectu, per se non requiritur, ut patet in sole producente lucem.

*Causa in actu secundo* constituitur per id, quod est actuale, formale, & immediatum exercitium causandi; quod pro diversitate causarum est varium. Respectu causæ efficientis physice (quam solam examinamus) est *actio*: causa enim aliter nequit intelligi actu producere & influere in effectum, quam per actionem: unde definiri solet, quod sit formalis determinatio causæ ad influendum, & determinatio effectus ad dependendum à causâ (intellige *actionem creatam*; si enim divinam si nul complectaris, sic definienda est: *determinatio agentis ad influendum, & termini ad procedendum*). Sed haec ad Theologos. Est autem actio ab entitatibus causæ, effectus, & passi realiter distincta: licet enim illa, cum sit modus, per suam essentiam ab his determinatè principiis

cipiis pendeat; possunt tamen esse illa tria, quin sit hæc actio; sic enim calor A v. g. qui producitur ab igne A & Deo simul, potuisset produci ab alio igne, vel à Deo solo : sic iterum eadem accidentia panis producuntur aliâ actione ante, aliâ post consecrationem conservantur. Dum Aristoteles ait, *non esse alium modum præter res ipsas*; legunt alii: *sine rebus non potest ullus modus existere.* Pergit tamen creatura *immediate* pendere à Deo, & etiam *essentialiter per se ipsam*: actio enim mediat tantum *ut quo*; & essentialiter exigit, ut, quando est, dependeat à Deo; ex quo non sequitur, essentiam creaturæ esse ipsam formalem dependentiam. Causæ necessariæ etiam sunt indifferentes *physicæ*; nam effectus ab iis ita producitur, ut possit non produci. Posito decreto Dei de productione effectus, causa est radicaliter & in actu primo determinata, non formaliter & in actu secundo. Per suam entitatem effectus transit *formaliter* à non esse ad esse; per actionem *causaliter*, tanquam per id, quo efficitur. Actio ipsa solùm habet indifferenciam Logicam, non Physicam.

Actio Physica dividitur in creationem & eductionem: De quibus suprà. Passio philosophicè accepta est *actus patientis*, *ut patiens est*, sive, ut communiter definiri solet, est receptio formæ in subjecto sustentationis, vel inhæsionis: hinc creatio, quia non respicit subjectum, non dicitur passio; neque inhæret alicui subjecto: interim termino suo adhæret, subjectum enim adhæsionis nullam importat causalitatem. Identificatur autem passio realiter cum eductione, & juxta Aristotelem non aliter distinguuntur inter se, quam via Athenis Thebas, & Thebis Athenas. Unde *agere* & *pati* abstractivè idem sunt, licet concretivè quoad subjecta denominata realiter distinguuntur. Recipitur autem actio eductiva in

solo passo: non enim recipitur in formâ; quia alias foret simul naturâ prior & posterior formâ: prior, utpote via ad formam: posterior; quia forma foret subjectum inhæsionis. Non in agente; non enim agens, sed passum per actionem immutatur. Accedit, quod passus sit ita passo, definitur enim *actus in hoc*: ergo & actio, cum sint realiter idem. Quod tollit indifferentiam potentiae passivæ, illi est intrinsecum; non quod tollit indifferentiam potentiae activæ; hæc enim non est potentia recipiendi, sed dandi, in eâque presupponitur perfectio; *unumquodque enim agit, in quantum est in actu;* unde agendo agens se ipsum non perficit, sed passum; actio enim est diffusio perfectionis: intellige hæc de actione transiente. Actionem non esse in eo, cuius est actio, patet in Deo: actio est actus à quo, neque se habet ad agens, ut passio ad passum; nam de ratione agentis non est, per actionem immutari, sed immutare. Actio dat denominationem *agentis*, à quo est; *passum*, in quo est, nisi agens & passum sint realiter idem, ut contingit in actionibus immanentibus.

## Conditiones ad agendum ex parte causæ.

**C**onditiones ex parte causæ ad causandum plures requiruntur. Prima est illius *existentia*: Quod causam materialē extrinsecam attinet, sufficienter declaratum est, ei concedendam existentiam physicam ante eluctionem formæ. Causas intrinsecas physicas debere existere physicæ, ut causent, planum sit ex eo, quod non

cau-

causent, nisi actu componendo, & toti se communica-  
 cando. *Causa finalis* cum causet tantum intentionaliter,  
 movendo voluntatem per bonitatem objecti ut pos-  
 sibilem obtenu, non requirit existentiam sui physicam,  
 sed solam intentionalem. Idem dicendum de *causâ morali*  
 cum hoc tamē discrimine, quod si intelligas eam,  
 quæ directione voluntatis vel consulendo, vel imperan-  
 do causat effectum, debeat existere physicè, vel saltem  
 extitisse; aut si *meritoriam*, quod, vel actu physicè ex-  
 istat, vel extiterit, vel sit extitura (de quibus plura Theo-  
 logi) ad causam autenī finalēm hæc non requiruntur;  
 potest enim illa finalizare, licet nunquam physicè ex-  
 istat. Ubi hoc breviter *notandum*, quod cognitio bo-  
 nitatis sit tantum *conditio sine qua non*. Non est quidem  
 causa finalis, nisi intentionaliter, quod habet per cogni-  
 tionem: sed æquivocationem tollens, si distinguas inter  
 hoc, quod existit intentionaliter, & id, quo existit in-  
 tentionaliter: *1mum* finalizat: *2dum* indicat mera conditionem;  
 quia est sola existentia intentionalis bonitatis,  
 per quam finis habet, quod possit proximè movere vo-  
 luntatem ad amorem sui. Si existentia etiam esset rea-  
 liter distincta à causâ physicâ, non influeret physicè, sed  
 esset mera conditio tenens se ex parte actus primi phy-  
 sici. Atque de eâ sic statuimus, quod causa physica  
 ut agat, debeat existere physicè. Quomodo enim po-  
 test dare existentiam, quam eo instanti, quo non existit,  
 non habet? quomodo effectus procedet ex virtute causæ,  
 quando illa non est, cum causa nihil aliud sit quam sua  
 virtus & potentia ad operandum? maximè cum effectus  
 ex illâ procedat per verum influxum physicum. Certe  
 quod paulo ante fuit, æquè pârum conferre potest,  
 quam si pridein fuisset ante, vel omnino nunquam. Hoc  
 fieri potest, ut causa physicè existens aliquid producat,

ipsâ desinente perseverans, quod sit causa cuiusdam alterius; atque itâ denominetur ipsa causa illius mediata : & nihil aliud probant plura exempla Adversiorum. Potest causa agere in loco contiguo, ubi non est; quia saltem habet existentiam , & deinde saltem est prælens præsentia virtutis: sed cur non inferunt, eam posse etiam eodem modo agere in tempore contiguo, itâ ut jam primò existens potuerit immediatè antè producere effectum. Quod de potentia moriendi objiciunt, nihil est: nam, ut ex Dialecticâ constat, in hâc propositione: *homo moritur*, subjectum sumitur per ampliationem & distinctionem.

Altera conditio est *approximatio agentis & passi*. Omni enim cause creatæ sua proportionata est activitas, quæ, sicut ejus essentia certis limitatur finibus, itâ præscriptis terminis coarctatur. Est certa agentium naturalium activitatis sphæra, extra quam non tendunt ulterius. Suffragatur experientia ; cum enim causa agit uniformiter disformiter, videmus, eam suas agendo vires insumere, & quæ in propinquò erat fortior, tanto debiliorem fieri, quanto magis distantem. Et verò si naturalem actionem in distans admiseris, cur non admittas ad quamvis distantiam? quia tūm vis agendi non exhaustiretur in operatione per medium. Quomodo effectus magicos & superstitiones distinguuntur à naturalibus ? Est igitur causa efficiens creatæ semper præsens effectui, vel præsentia virtutis, vel suppositi. Oritur autem hæc impotentia agenti in distans ex limitatione cause creatæ, in quâ arguit imperfectionem; non verò in Deo, quia in illo hæc impotentia arguit perfectionem, scilicet immensitatem. Dum igni adsto, partes ignis à me remotiores æquè me calefaciunt, ac propinquæ; nec tamen propterea datur actio in distans, aut simile agit in simile ; quia omnes partes

partes coēunt in unum agens, quod nunquam aget in  
 me nonnihil distantem, nisi & agat in aëre intermedio.  
 Experiētiae, quæ in contrarium aſteruntur, per effectus  
 antipathia & sympathia, iisque per effluvia corpusculo-  
 rum, & qualitates occultas aptissimè explicantur. Licet  
 mirabiles quandoque referantur effectus, qui pro fabu-  
 lis omnino sunt habendi; vel ope diabolicâ evenire  
 cœlēndi, uti sunt effectus unguenti armarii, si unguen-  
 tum hoc eos operari dicatur sine ullâ actione per me-  
 dium, & ad quamcunque distantiam; quanquam non  
 negemus, quod per sympathiam, effluvia, & qualitates  
 occultas unguentum aliquod vel pulvis possit varios  
 operari effectus intra certam sphæram activitatis, et si in  
 medio propter subjecti incapacitatem eos non operetur:  
 at cum nobis non constet, sphæra activitatis quanta sit,  
 & rebus illis facilè se dæmon immisceat, ejusmodi un-  
 guenti usus merito generaliter prohibetur. Similes sunt  
 effectus virgæ divinatoriæ, talcm si extendantur ad de-  
 tegendos limites agrorum, latrones, res, vel perditas, vel  
 furto ablatas: quæ enim hīc connexio? Sympatiam,  
 quam Virgularii dari volunt inter corylum (ex quā Vir-  
 ga illa bifurcata exscinditur) & metalla, Kircherius chi-  
 mæricam cenſet. Alius inquit, majorem dari sympa-  
 tiam inter magicos ejusmodi Virgularios & flamas,  
 quibus merentur exuri. Alii denique sunt effectus, qui,  
 si circumstantie ita ferant, superiori cuidam virtuti ex  
 divinâ ordinatione sunt tribuendi. Hæc de statu natu-  
 rali: quò minus autem causa supernaturaliter agat in  
 distans, non reperiunt Suar. Bellarm. & alii commu-  
 niūs; cum approximatio agentis ad passum sit tantum  
 conditio ad agendum requisita, quam DEUS supplere  
 potest. Non potest quidem creatura agere, quando  
 non est; potest tamen absolute ibi, ubi non est neque  
 per

per se, neque per suam virtutem; quia sic saltēm habet virtutem agendi, quam non habet, si non existat. Respiceret autem actio in casu hanc determinatē causam: vel ratio implicantiæ exhibenda est.

Tertia conditio est *dissimilitudo agentis & passi*. Communis enim Philosophorum sententia est, quod simile non agat in simile: ubi advertes, non dubitari, an causa possit producere effectum quoad speciem sibi similem: neque, an agens possit in passum agere, producendo similem qualitatem, qualem ipsum habet, sed minus intensam; cur enim calidum ut sex non possit intensius calefacere calidum ut duo? sed dubitatur, an agere possit in passum, producendo similem qualitatem, quod invenit sibi perfectè assimilatum. Ad quod respondetur negativè: cum enim omne agens intendat sibi assimilare passum, non agit in simile, sive enim ageret actione destruetivâ, sive magis perfectivâ, semper sibi dissimilaret passum. Imò si simile ageret in simile, non esset ratio, cur unum potius ageret, quam aliud; item cur se mutuò non intenderent usque ad summum gradum: quod tamen est contra experientiam. Quod agens ordinariè non assimilet sibi perfectè passum, refundi potest in approximationem insufficientem, aut reactionem passi: potest interim perfectè sibi assimilare mediately mediante forma substantiali; sic ignis v.g. in passo producit septem gradus caloris, cum his formam substantiali ignis, quæ gradum octavum statim emanat. Si applicetur calidum ut quatuor alteri calido ut quatuor: hoc quidem est capax ulterioris caloris; sed tantum respectu agentis magis calefactivi: illud est causa necessaria, non tamen ageret, quia cessat finis agentis. Magis densum etiam non ageret in minus perfectè simile, ut nec minus intensem in magis intensem: falsum enim est, quod

quod aët minùs frigidus congelet aquam frigidorem ; concurrunt namque multæ terreæ exhalationes, & quasi filamenta in fundo concrecentia , quæ particulis aquæ crassioribus cohærent , & sic ad congelationem juvant. Dum duæ v.g. candelæ luminosæ ut quatuor, producunt intensius lumen , agunt pér modum unius agentis talis.

Sed quomodo antiperistasis & reflexio salvatur sine actione agentis similis in simile? Per Antiperistasis intelligitur qualitatis à contrariâ qualitate circumobsessio. Eam dari , ejusque occasione qualitatum intensionem contingere, multiplex experientia , in frigore p̄sertim & calore, confirmat. Quo posito : vel qualitas circumfessa est inimica & violenta subiecto, sicut est calor aquæ: vel amica subiecto, ut frigus aquæ. Si **1mum;** intensio hujus caloris in hyeme, quando circumcidetur foris ab inimico frigore, oritur à confluxu corpusculorum, spirituum, exhalationum subterranearum calidiorum, quæ per terram frigore constrictam impediuntur , ne per poros erumpant : non tamen illæ calidæ exhalationes &c. se mutuò intendunt, sed magis uniuntur, quæ junctæ majorem habent virtutem reliquas partes calefaciendi. Si **2dum;** intensio illius frigoris tempore aestatis oritur tūm à Spiritibus frigoris, qui à calore pulsæ in aquam immigrarunt, vel antè jam fuerunt; tūm ab ipsâ formâ substanciali aquæ, quæ, evolantibus ex aquâ tempore aestivo spiritibus & exhalationibus calidis ad amicū sibi calorem foris existentem, ad nativum frigus se reducit, illudque, quantum potest, intendit. Hinc intensio qualitatis obsessæ semper oritur vel à causâ æquivocâ, vel à Spiritibus, vel à formâ substanciali. Atque ex hac explicatione datur simul facile ratio , cur putei , aliaque loca subterranea calidiora sint hyeme, frigidiora aestate ;

cur

cur manus nivis contrectatione incalescant; cur digitus ambustus, si igni admoveatur, minus doleat; cur aqua calida, soli exposita, citius frigescat; cur homo tempore hyemali magis sit famelicus, quam astivo &c.

Etiam *reflexio* & *refractio* sufficienter salvantur sine actione similis in simile. Reflexio autem qualitatis inde oritur: quia qualitas illa v.g. lux, quando attingit corpus obsistens, adhuc habet vim ulterius se propagandi: ergo conatur operari versus aliquam partem; non potest autem per lineam rectam progredi, quia corpus obsistens densitate suâ impedit: ergo agit vel per reflexam actionem, & tunc datur *reflexio*; vel per transversam, & tunc datur *refractio*, quando scilicet corpus obsistens est diaphanum & transparens. Nulla autem hîc intercurrit actio similis in simile; quia intensio qualitatis est à solo agente tanquam causâ principali, & à virtute ejus accidentalí tanquam instrumento; corpus autem reflectens, vel refringens est tantum conditio sine quâ non v.g. dum speculum reflectit lucem solis, illa lux in aëre non producitur à speculo, sed à sole, qui tantum ut conditio rem requirit oppositionem speculi, à quo lux repulsa cogatur retrosum illuminare aërem; atque ita hic aëris præter lucem, quam directè habebat à sole, acquirit etiam hanc reflexam, & sic magis illuminatur. Ex his

*Observo*, intensionem qualitatum in genere fieri per additionem gradus ad gradum in eadem parte subjecti; remissionem per graduum imminutionem. Constatit ex refutatione eorum Authorum, qui qualitates volunt esse indivisibiles: non enim intensio fit formaliter per depurationem subjecti à contrario, & remissio per admixtionem majorem contrarii: tunc quia multæ qualitates intenduntur, quæ non habent contrarium; tunc quia

quia, quò magis v. g. intenditur calor, eò magis expellit frigus: ergo idem indivisible frigus, semel totum expulsum, iterum deberet expelli, quod patet implicare. Dum Aristoteles vult, *remissionem fieri ex admixtione contrarii*, ex eo tantum sequitur, quòd ejusmodi admixtio connaturaliter remissionem comitetur. Neque, ut volunt Durandus & Avicenna, intensio fit per productionem qualitatis perfectioris, & minus perfectæ destructionem: gradus enim intensus nullam habet contrarietatem cum gradu remisso; ergo uno gradu accedente non perit alter. Dein quero: dum calor aquæ ferventis in medio nivis locatæ remittit, quis producit calorem illum imperfectiorem perfectiore deperdit? Difficulter in hâc sententiâ causa proportionata assignabitur. Neque intensio rectè cum Thomistis explicatur per majorem ejusdem indivisibilis qualitatis in subjecto radicationem: sive cum Capreolo & aliquibus illam radicationem statuas in productione perfectioris existentiæ qualitatis manente essentiâ; nam existentia non distinguitur realiter ab essentiâ, item existere non suscipit magis & minus: sive cum Barnez, quòd eadem qualitas magis & perfectius educatur è potentiatæ materiæ; qualitas enim est indivisibilis: ergo simul tota educitur: quomodo ergo magis & magis? sive cum aliis, quòd producatur perfectior unio qualitatis cum subjecto, imperfectiore destructâ; at contra hoc redeunt argumenta supra facta: sive cum Complutensibus, quòd producatur actualitas nova; seu modus ab essentiâ, existentiâ & unione qualitatis cum subjecto distinctus, ad quid enim ille modus? Manet igitur, quòd intensio fiat per additionem gradus ad gradum in eadem parte subjecti, qui inter se uniuntur unione continuativâ, & eidem parti subjecti unione informativâ. Sic enim Aristoteles 4. Phys. textu 84. sentire

sentire videtur, inquiens, ita ex calido aliquo fieri magis calidum, sicut ex frigido fit calidum: atqui ex frigido fit calidum per productionem novi caloris: ergo. Dum ait: *ex calido fieri magis calidum nullo facto de novo calido*, verum dicit; neque nos dicimus, quod accedat novum calidum, sed tantum novus calor in eadem parte subjecti. Ubi D. Th. videtur contrarius, tantum intendit, non posse fieri intensionem, per additionem alterius totalis qualitatis in diversâ subjecti parte. Qualitas, quia est actus, non habet quidem compositionem essentialiem, habet tamen integralem; alias nec quantitas, nec forma substantialis materialis partes haberet. Ex rejectis igitur aliis sententiis, sequitur, nostram esse amplectendam; cum enim intensione sit vera positiva actio, ad eoque terminum habeat positivum; hic autem non sit aliquid ex jani allatis, sequitur, quod sit nova pars, vel gradus qualitatis.

Interim intensioni sufficiunt gradus homogenei. Ita sentimus cum Doctore subtili, & aliis contra Suarezium & alios, qui gradus illos volunt esse heterogeneos, & præter differentiam individualem hoc sibi habere intrinsecum & esse, ut v. g. octayus non potuerit esse primus, vel secundus. Nolumus multum disputare, an gradus heterogenei possint facere intensionem: Ad hoc unum petimus responsonem, an, quando v. g. ponitur in subjecto solus gradus secundus heterogeneus caloris, subjectum sit calidum ut duo, vel non? si *zadum*; ergo gradus secundus non est essentialiter calor ut duo. Si *primum*; ergo frustraneus est calor ut unum. Item calor ut duo superaddatur calor ut unum; vel per hoc subjectum fiet magis calidum, vel non? Si non; ergo iste primus gradus est frustraneus: si ita; ergo per hunc gradum primum fiet calidum ut tria: ergo iste non est

est essentialiter calor ut unum, sed ut tria. Qualitas intensa non est entitative perfectior, quam extensa: interim est in actu secundo activior ob conjunctionem perfectiorem gradutum inter se in eadem parte subjecti. Licet autem sit aequalis perfectio entitativa, non tamen propterea calidum ut unum v. g., quod potest subjectum trium palmorum reddere calidum ut unum, poterit producere tres gradus caloris in uno palmo; quia sic dissimilaret sibi passum. Gradus octavus v. g. caloris *seorsim* sumptus non magis opponitur gradui primo qualitatis contrariae, quam septimus vel primus; *collectivè* autem acceptus cum reliquis magis opponitur. Qualitates contrariae non opponuntur sibi, nisi in gradibus intensis, id est, quando gradum quartum excedunt (Philosophi, ut commodiū de intensione loquuntur, octo tantum gradus statuerunt) alias dicuntur remissae. Gradus interim ille, qui v. g. est octavus, potuit esse primus: cum autem, introducto v. g. uno gradu caloris, necessè sit, expelli unum gradum frigoris, quisham ille futurus sit, an primus, secundus &c. DEUS determinabit, sicut ad illum pertinet, determinare ad individuum effectus. Licet v. g. calidum ut unum habeat vires ad producendam entitatem, quæ est gradus secundus, tertius &c. in subjecto, quod non est calidum ut unum, non tamen in illo, quod unum gradum caloris habet; quia finis agentis univoci est assimilare sibi passum. De intensione motus, figuræ, actuum vitalium, aliter loquendum est, quæ intenduntur adæquatae deperdito priore. Hæc omnia facile applicantur remissioni.

Quarta conditio est *distinctio cause & effectus*. Hinc absolute repugnat, idem se ipsum in genere causæ efficiens physicæ producere quoad primum esse; prius

enim est esse, quām operari. Quod causam finalēm at-  
tinet, illa apprehensa ut possibilis, causat se ipsam in  
existendo, movendo ad positionem sui per media ad  
hoc idonea. Causa meritoria semel existens movere  
potest ad suū perseverantiam in esse pro alio tempore,  
itāque cauſarēt se ipsam quoad esse secundum. Sed  
an id potest causa efficiens physica: Redetur, ne qui-  
dem posse divinitūs, contra Suar. Arr. & alios. Vetant  
enim id SS. Patres, qui hoc modo argumentantur: non  
datur distinctio realis in divinis, nisi ubi obviat relatio  
realis: atqui inter Patrem producentem, & filium pro-  
ductum est relatio realis: ergo distinctio realis: ergo  
ubicunque est relatio producentis & producti, debet esse  
distinctio realis, cum nequidem in sanctissimā Trinitate,  
in quā summa simplicitas defendi debet, quantum  
potest, sine distinctione reali salvare possint. Ubi au-  
tem est distinctio realis inter ignem v.g. productum, &  
se ipsum iterūm producentem? Nec dicas cum Arr.,  
illa in divinis fieri naturaliter, & quoad primum esse; in  
casu autem foret productio supernaturalis, & quoad  
secundum esse. Nam PP. præcisè ex relatione produ-  
centis & producti inferunt distinctionem realem. Et verò  
si realis identitas possibilis sit inter producens & pro-  
ductum, cur non sit in Deo, utpote summè simplici?  
Producens & productio, productum & productio, non  
sunt relativè opposita, ut nec relatum & relatio; unde  
possunt identificari. Duplex ubicatio ejusdem rei te-  
plicata non fundat relationem realem distantie rei à ſe  
ipsā; quia ubicationis tantum est denominare tem hīc,  
aut alibi locatam, præscindendo, an etiam vi alterius  
ubicationis sit alibi: è contra productio denominat cau-  
ſam producentem & effectum productum. Christus  
quidditatib⁹ sumptus non producit ſe ipsum in Eucha-  
ristiā,

ristiā , sed denominativē secundūm divinitatē producit se ipsum tecundūm humanitatē & unionem hypostaticam : Quanquam varii Theologi id adhuc aliter explicent. Potest quidem aliquid conservare se ipsum *indirectē*, amoliendo à se contraia, non tamen *directē*. A causis autem intentionaliter causantibus argumentari ad physicas, non licet.

Repugnat iterūm absolutē , duas causas se mutuō causare physicē quoad primum esse , etiam in diverso genere causandi : Quia utraque in priori naturae habet suum esse reale & non haberet : haberet ; quia omnis causa physica, ut cau'et, p̄ehabere debet suum esse physicum, secundūm quod causat : non haberet ; quia illud priūs acciperet pro posteriōri naturae ad suum effectum. Ad illud, quod Thomistæ dicunt, materiam caulari à formâ in genere causæ formalis , & formam à materiâ in genere causæ materialis , suprà sufficienter responsum est. Ad alterum, quod dispositiones v.g.ad formam ignis causent formam in genere causæ materialis , & viceversa caulfentur à formâ in genere causæ efficiēntis, negatur secunda pars : nam ignis in materiâ illas dispositiones invenit, nempe septem gradus caloris; formâque introducta eodem instanti emanat gradum octavum , qui pro tunc solus dicendus est ipsius proprietas : sequentib⁹ instantibus reliqui gradus, qui fuerunt dispositio ad ignem, serviunt illi tanquam proprietas, & conservantur ab illo: & ratio fundamentalis est, etiam contra alia , quæ præterea objici possent , quod ignis nequeat producere eosdem gradus, à quibus causatur, quia pro illo instanti invenit illos aliunde productos. Illud Aristotelis s. Metaph. c. 2. *causa sunt sibi invicem causa*, verūm est de causâ finali, & efficiente : item de causis intrinsecis hoc sensu , quod se invicem

compleant: denique de causâ materiali extrinsecâ & effi-  
ciente hoc sensu, quod una juvet aliam concurrendo ad  
eandem actionem. Exempla, quæ afferuntur, ad mu-  
tuam causalitatem probandam, nulla sunt. Nam 1<sup>mo</sup>  
Introduc̄tio formæ novæ non causatur ab expulsione ve-  
teris; hæc enim est effectus secundarius formæ novæ &  
nullo modo pertinet ad actum primum introductionis,  
utpote impedimentum tollibile per actum secundum.  
2<sup>do</sup> dum impetus venti aperit fenestram, hic solus est  
causa & apertoris fenestræ, & ingressus venti, qui sunt  
effectus simultanei. 3<sup>to</sup> ascensus unius & descensus  
lancis alterius sunt item effectus simultanei, causati à  
gravitate, deprimente unum, & attollente concomitan-  
ter alterum pondus. 4<sup>to</sup> notandum, quod, quando  
inter causam moralem meritoriam & efficientem vide-  
tur esse mutua causalitas v. g. donatur militi gladius in  
præmium victoriae prævisæ per illum gladium obtinen-  
dæ. Mercenario datur pecunia ante labores peractos &c.  
victoria, labor & opus exercitè non habent rationem cau-  
sæ meritoriae, adeoque nec gladius, nec pecunia ratio-  
nem præmii & mercedis: sed sola intercurrit mutua  
causalitas inter causam finalem & efficientem. Sed hu-  
jusmodi causalitates Theologis examinandas relinquimus  
in *Tractatu de Incarnatione.*

Nihil tamen obstat, quò minus duæ causæ efficien-  
tes se mutuo causent quoad 2<sup>dum</sup> esse divinitùs, etiam  
pro eodem instanti: ut affirmat communior contra Lu-  
gonem. Quæ enim in hoc contradic̄tio? non ex parte  
ignis B v. g. producti ab igne A; ille enim pro 1<sup>mo</sup> in-  
stante habet virtutem producendi aliquem ignem; cur non  
etiam ignem A? neque ex parte ignis A; hic enim potest  
divinitus pendere à pluribus causis in actu secundo to-  
talibus. Ignis B foret independens & dependens, na-  
tura

tura prior & posterior respectu diversæ actionis, non respectu ejusdem : quod transferri non potest ad productionem suâ ipsius quoad secundum esse, quia hic non reperiretur distinctio realis inter producens & productum; quæ ibi habetur; non enim ignis B foret causa suâ ipsius; illud enim : *quod est causa causa, est causa causati*, verum tantum est, si sit causa causæ non habentis aliunde suum esse. Neque ad mutuam causalitatem quoad primum esse ; quia causæ illæ non supponerentur aliunde existere. Ubi haec observa : quod *1mum & 2dum esse terminativæ* sint idem : eadem enticas , prout substantia, dicitur primum esse; prout 2dæ actioni , secundum esse appellatur.

Neque repugnantiam reperimus in eo , quòd idem indivisibilis effectus pendeat divinitùs à pluribus causis efficientibus physicis in actu secundo totaliter influentiibus : licet id nunquam contingat naturaliter ; cum enim natura horreat superfluum, omnes autem actiones totales præter unam ad effectum *simpliciter* producendum superfluæ sint, meritò id naturaliter impossibile censemur. Duo v. g. ignes applicati eidem passo , producunt totum calorem , totalitate quidem effectus ; at non totalitate causæ ; ex duobus enim ignibus illis conflatur una, causa totalis. Hinc experientiâ discimus , quòd si plures causæ in actu primo totales ad eundem effectum concurrant, suum concursum in actu secundo attemperent : agunt quidem singulæ, quantum possunt, sed non fortius, quam sit utile aut necesse ad finem naturæ ; quæ cum per unicam actionem totalem habet plenam existentiam effectus, ad nihil servit alia : si duplex causalitas causæ finalis & moralis in actu secundo possit esse totalis ( quod plures negant ) disparitas sufficiens assignari potest ; finis enim illarum non est præcisè existentia effe-

ctus, sed ob hæc & ista motiva, ex illo & isto fine; item duplex illa causalitas facit actum meliorem. Plures, quām duo pedes, sunt quidem superflui homini; sed non naturæ; quia adhuc circumstantæ, in quibus ob dispositiones exiguntur. Si duæ causæ in actu primo totales concurrunt ad eundem effectum, unâ deficiente, altera in actu secundo fit totalis; at per aliam actionem: si per duplificem actionem magis consultum putes effectui, assignare illi poteris milleras, & sic optimè consultum erit. At quis dicit v.g. igni, ut in concurso alterius influxum suum attemperet? Resp. illum ita esse ab authore naturæ constitutum, ut nō agat frustra. Quis dicit igni, adesse stramen comburendum?

Licet itaque una illarum actionum esset superflua quoad finem naturæ, non autem foret superflua quoad intentionem Dei, si ille vellet eundem effectum produci duplice actione totali: quod quidem Thomistis & Scotistis videtur metaphysicè impossibile; sed nobis neque ex parte effectus implicantia appetit, utpote qui divisim à pluribus causis produci potest; neque ex parte causarum, quia singulæ habent virtutem adæquatam ejusdem numero effectus productivam; neque actionum, quæ in suo conceptu non important incompossibilitatem metaphysicam: sive enim sola sint, sive non, manent tamen totales; quia unaquæque dat omnem influxum ad effectus positionem in suo genere & ordine necessarium, neque virtus unius causæ tollit virtutem alterius: aliter si causam totalem definis, malè definis: termini negativi non adhibendi. Effectus ab utraque causâ dependeret hoc sensu, quod ab utrâque acciperet suum esse: etiam dependeret per se, si intelligis, quod dependeat ab utraque causâ, influente ex intentione: Non tamen duplice causâ indiget; dependentia enim fundatur tantum in indigentia inde-

indeterminata terminativè; quia nullus effectus absolutus  
 indiger hâc determinatâ causâ; illa producit quidem indi-  
 viduationem effectus, sed ille non individuatur à causa.  
 Exhaurit una causa totam causabilitatem effectus positivè  
 quoad sufficientiam influxûs; non exclusivè excludendo  
 concursum alterius influxûs: per utramque nihil produ-  
 ceretur plus ex parte termini. Paritates, quæ afferuntur  
 de dominio penes duos, ad Theologos & Juristas perti-  
 nent: nos, illis omissis, petimus, an per hoc, quod  
 ignis A producat ignem C, ignis B amittat suam virtu-  
 tem eundem producendi? Duplex totalis annihilationis rei  
 implicat (nisi ponas rem reproductam) quia totalis anni-  
 hilatio est subtractio omnis actionis conservativa. Per  
 actionem non tollitur necessariò negatio effectus primò,  
 ut patet in actione conservativa: est quidem actio tradu-  
 ctio effectus à non existentiâ ad existentiam, hoc sensu,  
 quod sit via ad existentiam, per quam formaliter exclu-  
 ditur non existentia; ex hoc autem non sequitur, quod  
 negatio semper necessariò præextiterit: secundæ actioni  
 per accidens est, quod præsupponatur prima: causabit  
 itaque causa secunda idem, quod prior causaverat. At  
 novæ actioni debet respondere novus terminus. An no-  
 vat etiam visioni novum objectum? &c. Sed quid, si  
 causa utraque producat in eodem instanti? si per secun-  
 dam actionem ponatur effectus in alio loco? Breviter id  
 nota contra Vasq., quod neutra causa foret instrumen-  
 talis, ad hoc enim requiritur, ut eleverit quoad sub-  
 stantiam actionis, per suppletionem defectus in virtute:  
 quod non sit. Unde duplex illa actio totalis foret tan-  
 tum supernaturalis quoad modum, quia in his circum-  
 stantiis concursus utriusque non debetur naturæ.

Colliges, distinctionem agentis & passi inter necessarias  
 ad agendum conditiones numerari non posse: cùm agen-  
 tia

ia naturalia in se ipsis producant suas proprietates , & viventia operentur immanenter. *Omne, quod movetur, ab alio movetur*, vel mediately , vel immediate : Si idem moveret se ipsum , in quantum movet , foret in actu ; in quantum patitur in potentia subjectiva recipiente actum : perfectionem , quam pro priori ad motum , habet virtualiter ; pro posteriori haberet formaliter.

## Operatio Causæ efficientis.

**D**ari in causis secundis virtutem effectus sibi proportionatos verè ac citra metaphoram producendi ; tām certum est , ut contrariam sententiam , attento naturali lumine , D. Th. stultam melitò appellaverit : attentis verò principiis fidei , erroneam ac temerariam dicere liceat. D. Thomæ assertum probant refutata superius Gassendi & Cartesii figura : Alterum suadet caput primum Genesis , & præter plura alia illud Christi apud Matthæum : *Videte siculneas , cùm jam producunt ex se fructus.* *Omnia operatur DEUS in nobis* , non solus , sed nobiscum. Dum S. Aug. ait : *corporales causas non esse numerandas inter causas efficientes , quia magis sunt , quām faciunt , vult tantū , quōd agentia naturalia ob necessitatem in operando , potius agantur in suos fines , quām agant ; verè tamen aliquid efficiunt : DEUS enim , inquit , sic omnia , qua crevit , administrat , ut etiam ipsa proprios exercere , & agere motus finat.*

Virtutem hanc , etiam *immediate* operativam , tribuere oportet Substantiae : Cùm quælibet substantia suas proprietates emanet per virtutem à se indistinctam : quæ emanatio , sicut effectus emanatus est physicus , etiam est vera actio physica . Proprietates substantiam accipere vi primæ generationis , & ejusdem intuitu fieri amissarum recuperationem absque nova actione per meram earum resultantiam , seu per majorem & majorem radicationem in substantiâ , difficulter intelligitur , ut ostensum , ubi de intensione qualitatum . Accedit , quod virtus immediata operandi nequeat negari substantiis ob nimiam earum perfectionem ; quia competit Deo : neque ob earum imperfectionem ; quia convenit accidenti , quod taliter est causa principalis respectu alterius accidentis , quod continet in sua virtute . Si *actus* non est in genere substantiae , potentia , quæ datur ad illum *actum* , non potest esse in genere substantiae ; si sermo est de materia prima , & actu primo materiæ , vel de potentia rei objectivâ , & actu entitativo . Atque hoc sensu *actus* & *potentia* sunt in eodem genere : Si Thomistæ velint , Doctorem Angelicum respondentem ad hoc actioma , illud intelligere de potentia productiva , & actu producto , ratio nobis aliud suadet : ac deinde effectus saepe est substantia , & tamen ex mente Thomistarum potentia juxta D. Th. semper est accidentis . Modus agendi principalis & immediatus independens &c. item esse activum per suam essentiam independentem &c. est solius Dei ; non substantiae creatæ . Sed cur utrumque Thomistæ tribuunt accidenti ? sicut calor distinguitur ab actione calefactivâ , sic substantia ab actione ; quia & calor & substantia est indifferens ad actionem : non tamen substantia , nec calor , distinguuntur à potentia calefaciendo , agendi . Dum Aristoteles & D. Thom. volunt ,

quod agere sine instrumento sit supra virtutem limitatam creaturæ, nil aliud velle possunt, nisi quod agentia creata nequeant agere ad extra sine præviis dispositionibus tanquam causis instrumentalibus: cum quibus tamen immediate pergunt concurrere, licet terminus produtus sit solum accidens; quia ignis v.g. non est minus activus ad intra, quam ad extra: ergo quando est sufficienter applicatus, cum sit causa proportionata & necessaria, simul influet v.g. in calorem. *Si nihil esset aptum agere, nisi quod habet strictè contrarium*; omnipotentia Dei non posset agere. Substantiae sibi contrariantur radicaliter, neque causant mutationem substantialem, nisi præviè introductis accidentibus contrariis formæ veteri. Illud Aristotelis: *ignis agit, non ut ignis, sed ut calor*, docet tantum, quod ignis se solo non agat ad extra, sed mediante calore tanquam instrumento. Inde tamen non sequitur, quod aqua calefacta simul concurrat ad calorem productum in alio passo; nam aqua non habet naturalem inclinationem ad calorem, qui est ipsi violentus: quod notandum insuper contra Patrem Aler, qui vult, solum accidens nunquam esse causam efficientem accidentium: in essendo pendet quidem accidens à substantiâ, quia naturaliter non existit sine subjecto; ad operandum autem non indiget semper concurso activo sui subjecti, ut patet in exemplo positivo.

Minus intelligi potest, quod volunt Thomistæ cum paucis aliis, accidens esse virtutem adæquatam productivam substantiæ: cum enim omnis causa adæquata debeat continere perfectionem sui effectus, accidens autem non continet perfectionem substantiæ; quomodo solum illam producere poterit? At, inquires, necesse non esse, quod causa instrumentalis & principium formale quo continet

tineat perfectionem effectus; sed sufficere, eam in causa principali, quæ est *principium radicale quod*, contineri. Unde volunt, accidens tantum operari nomine & virtute substantiæ, sicut Legatus operatur nomine Regis tanquam instrumentum illius. Sed similiter dicam, lapidem substitui posse nomine hominis ad ratiocinandum: aut hominem ad ratiocinandum in locum lapidis. Si negas, ideo negare debes, quia lapis intrinsecè incapax est illarum operationum. Idem applica accidenti; hoc enim per se ab intrinseco incapax est producendi substantiam, ut propter entitativè illâ imperfectius: dein substantia nullam virtutem operandi habet; quomodo ergo in illius virtute operabitur accidens? Item, an hoc, quòd accidens operetur nomine substantiæ; vel hoc illi superaddit aliquam perfectionem, vel non? si non; accidens manebit æquè improportionatum: si ita, vel illa perfectio est accidentalis, vel substancialis? Si *primum*. nihil evincitur: Si *secundum*, se solo non producit. Atque ex his patet manifesta disparitas ad propositum simile; Legatus enim per se ab intrinseco est capax firmandi v. g. publica negotia; Rex, cui substituitur, eandem capacitatem habet; Legatus, ut Legatus, intrinsecè includit Authoritatem Regis. Actio est solùm formale exercitium, quo producitur substantia, & non est producens; adeoque non est opus, ut illam præcontineat. Substantia semper est præsens effectui substanciali immediatione supposita, vel virtutis: instrumentum non quidem continent totam perfectionem effectus, si operetur cum substantia; secus, si solùm. Si producitur substantia ad præsentiam accidentium; adest semper agens substanciali vel particulare, vel universale, scilicet Deus, qui ad exigentiam dispositionum supplet defectum causæ creatæ. Sed intelligent adversarii, quòd etiam sàpe nulla videatur adesse substantia,

tia, in cuius virtute accidentia operentur substantiam; adeoque difficultas hæc utriusque sententiæ communis est. hoc postremum observo, substantiam in contraria sententia solum videri denominativè, & extrinsecè causam, in quantum sustentat accidens: quomodo enim propriè nomine causæ principalis insigniri poterit, cùm nullam cau-sandi virtutem habeat. Sed accidens se solo potest destruere substantiam: quid mirum, quod illud possit me-diatè; nam contrariæ dispositiones expellunt dispositiones ad conservationem formæ requisitas: physicus autem in-fluxus in effectum, requirit in causa illius perfectionem.

Per hæc nolumus dicere cum Scotis & aliis, solum substantiam semper esse causam adequatam substantiæ: judicamus enim cum aliis, non esse satis peripateticum, dicere, quod ignis agat secundū substantiam & non secun-dum qualitatem. Et verò cur accidens tanquam causa in-strumentalis concurrere nequeat ad substantiam produ-cendam; sæpe enim sola substantia non est sufficiens ad producendam substantiam, sed per accidentia tanquam per suam virtutem approximanda, ut cum iis propaget suam actionem. Accidens se solo non continet perfectionem substantiæ: sed si species impressæ non viventes cum intellectu producunt operationem vitalem; cur acci-dens cum substantia non queat influere in substantiam? quod cùm sit instrumentum naturale, hoc ipso, quod cùm sua causa principali applicetur pallo, jam sufficien-ter est assumptum.

## Infinitum & Conti-nuum.

**N**on vult suos fatigari disputationibus de infinito Cat-telius; quia, inquit, finiti sumus. Sed infirma-tio,

ratio, cùm finiti, Deum esse infinitum, positrè intelligamus. Cur non ergo etiam de infinito creato quæramus & determinemus, an possibile sit? Definitur autem infinitum ab Aristotele, *cujus est semper aliquid extra accipere*; id est, quascunque & quantascunque ex eo collectiones finitas substraxeris, semper restat substrahendum. Aliud est *syncategorematicum*, vel potentia, quod partes actu existentes habet tantùm finitas, sed possibles in infinitum: hoc an possibile sit, parùm controvertitur; quia quis neget, Deum perfectiorem creaturam, & perfectiorem in infinitum posse producere, calorem finitè intensem posse intendere magis & magis in infinitum? Aliud est *categorematicum*, sive actu, quod omnes sui partes, easque infinitas habet actu simul. Hoc in omni genere implicare, probabilius videtur pluribus cum D. Thoma, Suar. & aliis contra Ov. Arr. Ulloam &c. Multa paradoxa ex existentia infiniti categorematici solent inferri: sed cùm infinitum in qualitate & quantitate inferant infinitum in numero; hâc unicâ ratione nos contenti sumus, quod ex infinito categorematico sequatur totum non tote majus suâ parte; nam quidquid constituit infinitum, infinitum esse debet; finitum enim additum finito non facit infinitum; adeoque ex medietate tantum accipi posset, quantum ex toto. Solent hîc adversarii semper negare suppositum, infinitum constare medietatibus, partibus &c. sed quâ verosimilitudine? Item numerus per additionem crescit, per subtractionem decrescit: quod cùm in numero nobis noto constet, cur excipiatur numerus infinitus? aut rationem numeri illi abnegare debes. Item in numero infinito non forent plures unitates, quam centenarii &c.; alias centenarii finities repetiti adæquabunt infinitas unitates. Quis hoc concipiatur? Non potest Deus modò ita facere, quidquid potest, ut præter hoc, quod

quod facit, non possit amplius: sed quidquid facit, præter hoc potest amplius: & hinc amplius si faciat, adhuc potest amplius, & sic in infinitum. Virtuti actu infinite non respondet effectus producibilis actu infinitus: quia illi non correspondet effectus chimæricus: sufficit, eam posse producere effectus syncategorematicè infinitos; quod licet & possit anima nostra, non tamen habet potentiam infinitam, sicut Deus; non enim ex eo præcisè dicitur potentia Dei infinita, quod possit plura & plura producere in infinitum, sed etiam ex eo, quod possit producere absque dependentia & subordinatione. Si ponas soles actu infinitos, lux nascetur actu infinita: sed quid mirum, quod ex chimæra matre nascatur chimæra filia? Omnes effectus totâ æternitate securi non possunt sumi per modum unius collectionis: unde eo sensu Deus illos non producet. Potest quidem simul producere omnes, quos producturus est; sed tum finitos tantum producere. Neque hinc inferas infinitum negativum: nam cùm infinitum categorematicum positivum sit una chimæra, illi excludendæ sufficit una negatio. Negationes infinitæ dantur quidem in sensu negativo; sed cùm nihil sint, quomodo ex iis infinitum conserget? Eas dari nihil est aliud, qam non dari res positivas infinitas. Paritas ab infinito syncategorematico deducta non urget; quia quidquid illius existit, aut extitit, finitum est, restat tamen amplius & amplius & amplius, finitum quidem, sed in infinitum: adeoque quoad hanc potentialitatem cum alio comparari non potest tanquam aliquid majus, vel minus, vel æquale; æqualitas autem & inæqualitas, totum & pars convenienter solum rebus certis & determinatis, quale esset solum infinitum categorematicum.

Ex

Ex eadem ratione nequit dari in mente Dei infinitum categorematicum creatum: creature enim cognoscuntur tantum a Deo, ut sunt possibles. Unde dum cognoscit omnia possibilia, haec cognoscit solum distributivè, non collectivè, sicut singula distributivè tantum potest producere? Unde licet nulla sit, quæ non cognoscatur: non tamen cognoscit omnes simul simultate objecti, ita ut faciant unam collectionem objectivam; sed simultate cognitionis tantum, quæ est tota simul, aut etiam simultate objecti hoc sensu, quod, cum una cognoscitur, etiam cognoscatur altera per collectiones finitas infinitum. Si jam quæras, quot DEUS creaturem cognoscat? mille; sed non tantum. Bis mille; sed non tantum &c. Unde præter eas, quas cognoscit, semper restant aliæ, quas etiam cognoscit. Sed cave, ne unquam omnes in unam collectionem accipias: negabitur enim statim suppositum. Collectio omnium possibilium præter singula dicit negationem plurium possibilium; inde singulas quidem dicit, quia est Chimæra, quæ ex possibilibus constitui non potest.

Affinis huic assertioni est altera nempe creaturem possibilium omnium perfectissimam ad chimærarum classem esse rejiciendam. Et merito: talis enim creature foret tam propinqua Deo in perfectione, ut nulla propinquier assignari possit, cum sit omnium perfectissima: id autem quomodo fieri possit, cum adhuc distaret infinitè a Deo, quis capiat? an igitur inter extrema infinitè distantia nihil mediare possit: Inter DEUM, & omnes creaturem distributivè sumptas, semper aliqua mediat, inter DEUM, & omnes creaturem collectivè sumptas mediat creature exercitè possibilis; collectio enim omnium creaturemarum est chimæra; inter hanc verò & DEUM mediat creature exercitè talis. Creatura perfectissima

Diffima est creatura signata tantum. Si permittatur, possibilem esse creaturam imperfectissimam; non propterea admittenda necessariò perfectissima: inter creaturam enim & nihilum distantia solum est finita, ac proin deveniri potest ad aliquam, quae sit proxima nihilo; contra distantia inter DEUM & quamlibet creaturam est infinita; adeoque propositum manet argumentum. Eodem modo ex possibiliitate speciei perfectissimæ sub determinato genere prædicamentali similis contradictione non sequitur. B.V. & natura humana Christi, sunt creaturæ perfectissimæ, non in entitate, sed hæc per unionem hypostaticam habet summam dignitatem, illa per maternitatem Christi: similiter merita Christi sunt infinita in sensu morali, in quantum significantur à personâ Verbi. Sed hæc ad Theologos.

Infinito aliam de continuo compositione questionem, longè difficulterem, subjecere solent Physici. Tres præcipue celebrantur sententiæ, Aristotelis, Zenonis, & Virtualistarum: in singulis aliquid offendimus, propter quod nullam earum nostram facere lubet. Zenonite juxta vulgarem opinionem volunt, continuum permanens constitui ex punctis indivisibilibus, & successivum ex meritis instantibus indivisibilibus, ita ut, si resolvetur continuum, nil restaret dividendum, sed mera sufficerent indivisibilia. His objici solet, *indivisibile additum indivisibili non facere majus*, motum canis & testudinis fore æqualem; quia indivisibile tangens indivisible, non tangit illud secundum aliquam partem: ergo penetratur: canis & testudo uno indivisibili instanti non possunt plus, minusve spati conficere, quam unius puncti. Plures alias demonstrationes mathematicæ contra Zenonem in promptu sunt. Sed unum nos maximè non capimus quomodo rotam ferream, circulariter circumactam, à motu

inte-

integrā, infraētāmque restituere possit : quia certum est, quod pars radii vicina circumferentiae citius moveatur, quam propior axi : ergo dum moverit uno puncto, hæc integro puncto moveri non potest; alias æquæ citiò moveretur: non potest moveri aliquâ tantum parte puncti, ut patet: ergo deberet quiescere: si quiescat, non manet in eadem linea: ergo radius aut frangi debet, aut admodum distorqui.

Peripatetici partes continui dividunt in *communicantes*, vel *proportionales*, quarum una aliquid participat ex alterâ v. g. quadrans ex medietate; & in *non communicantes*, vel *aliquotas*, quarum una nihil participat ex alterâ v. g. quadrans ex quadrante: per has aliquoties repetitas docent, exhaustiri totum; illas posse in infinitum dividī: partes proportionales volunt tantum inæquatè inter se distingui, eò quod una semper participet aliquid ex alterâ; aliquotas adæquate. Ab his petimus 1<sup>mo</sup>, ut ostendant, quomodo in uno palmo non detur infinitum actu: partes enim in continuo actu physicè distinctas dari, plures admittunt: negativa nobis persuaderi ab aliis non potest; cum enim ipse palmus actu existat, actu illi inexistere debent suæ partes. Nec juvat eos distinctio inter partes proportionales & aliquotas; partes enim proportionales inferunt aliquotas, ut examinanti patet. Ostendant 2<sup>do</sup>, non sequi, quodlibet continuum constare punctis indivisibilibus numero infinitis: quid enim prohibet, omnes uniones inter partes tolli? Ostendant 3<sup>ti</sup>, quomodo aliquod spatium sit pertransibile, & consequenter quomodo possibilis sit motus localis: cum ut aliquod spatium pertransiretur, ejus dimidia, & dimidiorum dimidia pertransiri debeant; quæ, cum infinita sint, pertransiri non possunt. Dicere autem, pertransiri infinito tempore v. g. unius minuti, quod etiam

sciam est divisibile in infinitum ; potius difficultatem auget : quis enim credat, intra momentum temporis actu transiri partes, & quidem successivè , non tot, quin plures, ita ut nunquam simul extiterint, nunquam assignari possit prima, nunquam ultima &c. pluribus postulatis parcimus.

Virtualistis, qui puncta physice indivisibilia, at virtualliter divisibilia in infinitum in continuo statuant , in quantum se possunt coextendere majori , minorive spatio, in quo definitivè existunt (præterquam, quod incident in scyllam, dum volunt vitare charybdis) hoc unum considerandum relinquimus , quo jure rei materiali tribuant virtutem , quæ solis spiritualibus competit.

## Tempus , Locus , Vacuum.

**T**empus extrinsecum ex Aristotele l. 4. Phys. est numerus motus secundum prius & posterius. Id est , tempus est aliquid successivè fluens, quod sit pro regulâ & mensurâ universali , omnibus notâ, constante, & optimè regulatâ ad durationes rerum cognoscendas, ut principiè est motus solis. Pro materiali igitur tempus dicit plures partes motûs , pro formalí durationes , vi quarum istae partes se mutuò sunt priores , & posteriores : adeoque tempus essentialiter est successivum. Deficiente tempore reali extrinseco, habetur adhuc imaginarium, quod est tempus extrinsecum possibile , secundum quod ipse cursus solis durat. Intrinsecum est forma, per quam res formaliter durat in tempore, & diciatur

tur duratio: hanc à tempore extrinseco, & creaturā durante realiter distingui, constat ex titulo *de modis*.

Locus *extrinsecus* ex Aristotele est *superficies prima & immobilis corporis ambientis*, sive est extima tantum pars corporis, quæ proximè contingit, & circumdat rem locatam. Superficies autem immobilis dicitur immobilitate formæ, quæ est ubicatio, pari modo, quo de tempore extrinseco locuti fuimus. Ex quibus intelligis, DEUM non esse in loco extrinseco; quia à nullo corpore ambiri potest. Si DEUS crearet Petrum extra mundum, diceretur is esse in loco imaginario; quia esset ibi, ubi locus aliquis extrinsecus realis esse posset. DEUS ipse est in spatiis imaginariis hoc sensu, quod nullus locus sit possibilis existere, cui, si existeret, DEUS ratione suæ immensitatis non coëxisteret. Ceterum si per spatiū imaginariū intelligis ipsam immensitatem divinam, prout hæc est potens participari à creaturis: facile intelligitur, quomodo DEUS ab æterno fuerit in spatiis imaginariis, scilicet semper in se ipso. Locus *intrinsecus* est forma, per quam res habet, quod sit hæc potius, quam alibi: appellaturque ubicatio, distincta à re locatâ & loco extrinseco. Intelligitur iterum ex titulo *de modis*.

At dubitatur adhuc, an duratio & ubicatio etiam distinguantur ab actione productivâ & conservativâ rei? Solet à plerisque responderi negative; quanquam sunt, qui, ubicacionem dum ab actione distinguunt, duracionem tamen illi identificant. At utraque probabiliter actioni identificatur; cur enim actio, per quam res producitur & conservatur, non possit esse affixa huic parti virtuali æternitatis & immensitatis divinæ, ita ut sit simul duratio & ubicatio, tamen sui ipsius, quam termini producti? Ad quid multiplicare entia sine necessitate?

& in quālibet re singulis momentis statuere infinitorum propē modorum protulūm? Qui licet rei graves non sint, nimiam tamē absurditatem videntur nobis invenire. Quod aliud sit officium actionis praeceps, aliud durationis, aliud ubicationis, solam distinctionem rationis invehit: actio est naturā prior ut quo re productā, non prior duratione & ubicatione, licet ratione posteriores dici possint ipsā actione. Vides autem, nullam rem physicē producere suam ubicationem per motum localem: sed per hoc se moveret, quod imprimat sibi impulsū, ad cuius exigentiam ex hoc loco transfertur in alium, quae translatio realiter est actio procedens à Deo tanquam causā conservante, qui per impetum, quem rē sibi imprimuit, determinatur ad hoc, ut potius eam producat vel conservet in hoc, quam in alio loco & tempore: non tamen propterea solus DEUS dicitur mouere hominem; licet enim homo physicē non producat motum localem, dicitur tamen se movere; quia imprimendo sibi impetum est causa motū: unde intelligis, motum localem non esse actionem vitalem, si intelligas actionem productivam ubicationis, secūs, si intelligas actionem productivam impetus, quem homo sibi imprimit. Singulis momentis dari novam actionem conservativam rei; DEUM rē non conservare cras per eandem actionem, per quam hodie produxit: mirum non est; cum enim rēs indifferens sit ad conservari pro sequente instantē, hæc indifferētia per novam actionem tollenda est. Hinc universaliter falsum est, manere eandem actionem, quamdiū manet eadem causa, & idem effectus: hoc enim non obstante potest se causa ad eundem effectum aliter & aliter applicare.

Sed

Sed ratione loci & temporis duas celebriores adhuc quæstiones exsurgunt. *Prima* est, an possibilis sit creatura ab æterno? Nos omnem creaturæ æternæ possibilitatem abjudicamus cum D. Bonav. & aliis. Ita sentire jubar sequens SS PP. contra Arrianos discursus : *Verbum est ab æterno : ergo est DEUS : ergo non est creatura.* Nec dicas, eos argumentatos fuisse, suppositâ impossibilitate creaturæ æternæ, ut sentiebant Arrianii. *contraria est :* SS. Patres universum requirunt ad rationem creaturæ, ut transeat à non esse sui ad esse sui. Audiatur S. Athanasius : *proprium est*, inquit, *creaturis*, *ut non sint prius, quam sint*, & ex non entibus ad naturam entium perveniant. Item : *licet Deus ab eterno creavit potestiam habuerit, non potuerunt tamen creature esse ab eterno.* S. Aug. *Angeli Creatori suo coæterni esse non possunt.* Sileo plures Patres alios. Qui autem dicunt, argumentum SS. PP. rectè concludere de æternitate creaturæ impavidatâ; intelligent, idem dixisse Arrianos, quem voluerunt esse Deum participativè, & æternum per gratiam ex liberalitate Patris : quomodo ergo efficax eorum argumentum fuisset, si creaturæ concessissent æternitatem participatam. Nec tantum argumentati sunt ex hypothesi revelata, quod omnis creatura ceperit in tempore : quia sic eti Verbum extitisset ab æterno, potuisset tamen esse creatura. Æternitas creaturæ non destruit quidem rationem formalem creaturæ directè; at indirectè & consecutivè; quia destruit transitum à non esse ad esse. Est etiam creatura contingenter in tempore, hoc sensu, quod potuerit esse vel non esse in tempore; non, quod potuerit esse ab æterno: hinc negatio creaturæ pro æterno existentis est necessaria, cum talis creatura sit impossibilis: Item creatura æterna adhuc esset contingens, eò quod potuisset non esse; sed hoc ad rationem

creature non sufficit , contingentia enim illius requirit , ut præsupponatur non esse . Unde licet necesse non sit , causam creatam tempore effectum præcedere ( quia effectus adhuc transiret à non esse ad esse ) Deus tamen necessariò creaturam omnem totā æternitate præcedere debet : In quo licet ab æterno detur potentia productiva creature , pro tempore producibilis , non tamen pro æterno . Quocunque instanti *distributivè* , at non *collectivè* accepto , potest Deus producere creaturam . Si poneres solem ab æterno , haberes etiam lucem ab æterno , sed ex chimera chimaram : Deus plūs potest , quām quæcumque creatura in casu possibili , non impossibili .

Altera questio est , an idem corpus *circumscripтивè* possit esse divinitus in pluribus locis adæquatis . Negant Thomistæ . At esse *definitivè* in dupli loco , ut totum sit in toto , & totum in quālibet parte loci utriusque , plūs quid habet , quām esse *circumscripтивè* ita , ut totum sit in toto , & singulæ partes corporis singulis loci partibus correspōdeant : illyd ex fide habemus : cur hoc omnipotenti DEO negemus ? Circumscripicio corporis in hoc loco , non est exclusio illius ex alio loco ( sic enim evidens est , idem corpus non posse circumscribi dupli loco : quo sensu circumscriptionem videtur accepisse D. Th. , dum hīc negativam sustinet , vel loquitur de potentia Dei ordinariâ ) sed corpus ià commensurari loco , ut omnes corporis partes illo loco claudantur : quod non prohibet , quò minus ab alio loco eodem modo circumscribatur . Distaret corpus illud à se ipso *locatiter* , non *entitativerè* . Separabilitas entitativa est signum Metaphysicè evidens distinctionis ; localis tantùm evidens physice . Corpus replicatum existens in loco B , esset extra locum A , & simul in illo , adeoque illo adhuc clauderetur totaliter : non occuparet unum locum se ipso majo-

majorēm , sed plura collectivē sumpta se ipso longē mājora , & quidem per diversas ubicationes . Si poneres etiam replicari in omnibus locis , propterea non foret im- mentum ; quia esse immensum est , esse in omni loco per seipsum & ex sua essentiali exigentia . Solent hīc ex bilocatione corporis deduci ab Adversariis plures contradicōnes , ut ipsi arbitrantur ; v.g. idem homo hīc poterit peccare , alibi Deum amare ; hīc vivere , alibi mori ; hīc frigere , alibi calere &c. Sed nos respondemus , si hēc involvant contradictionem , non poterit ; poterit , si non involvant . Sed urges , quārēndo , an involvant *Resp.* nihil facere ad possibilitatem replicationis , sive involvant , sive non . An et Deum , vivat , caleat in utro- que loco ; jam in nostrā sententiā assignanda est contra- dictio . Ubi hoc observa , quōd pleraque argumenta Adversariorum in replicatione definitivā retorqueri possint .

*Infertur* , ad replicationem nihil aliud requiri , quam novam actionem productivām rei , vi cuius res hīc exi- stens & manens , sistatur alibi prāsens .

Pro Coronide aliqua de vacuo breviter subjicio . Est illud juxta Aristotelem , locus , seu superficies carens omni corpore . Possibilitatem ejus metaphysicam immerito ne- gavit Cartesius : quæ enim in eo repugnantia , quōd Deus in aliquo loco annihilet omnia corpora nullo alio substituto ? Infirma certè Cartesii ratio est , dum vult , quōd , si Deus destrueret omne corpus contentum v. g. in cubiculo , parietes à se invicem non distarent , quia non daretur inter illos corpus intermedium : non enim ad distantiam unius ab alio requiritur , ut actū semper detur aliquod corpus intermedium , sufficit , dari potentia . Vacuum interim naturaliter non dari , nec dari posse , ex influxu corporum cælestium in sublunaria , transmissione

specierum v. g. visibilium ad oculum &c. evinci videtur: cum enim communis modus agendi corporum naturalium sit per lineam rectam, dato vacuo, vel agerent in distans, non agendo per medium; vel qualitates in vacuo non haberent subjectum: quod utrumque naturaliter fieri non posse sanior sustinet Philosophia, & experientia comprobatur. Licet forte in pleno denso & solido, motus localis dari nequeat, potest tamen dari in liquido & fluido: corpora moventur in aere, sicut pisces in aqua. Experimentum Torricellianum in barometro, vacuum non probat: dum enim descendit Mercurius superior tubi pars vacua non est; juxta alios enim plena est subtleribus Mercurii spiritibus, juxta alios substantiam tenissimam, quam auram ætheream vocant. Item superior illa tubi pars lucem habet: si jam lux est substantia; vacua non est. Si accidens, illud erit sine subiecto. Iterum per illam tubi partem transmittuntur species objectorum, de quibus idem ratiocinium reddit &c. &c. In natura dari metum vacui hoc sensu, quod omnes res universi ita sint coordinatae, ut precedent corpori semper aliud succedat, ex dictis indubitandum est. Sed quæ hujus successionalis ratio physica? supponimus, aërem esse gravem & elasticum, id est, habere vim ex propria compressione premendi alia corpora, iis resistendi, seseque ad proprium statum reducendi, dum externa pressio cessaverit: id que multis experimentis probat Kircherus. Quo supposito, ea, quæ in metum vacui refundi solent, gravitati & elasticitati aëris tribui posse arbitramur, donec melius aliquid ab Authoribus excogitetur.

# Anima & illius Potentiae.

**A**nima ex Aristotele est *actus primus corporis organici* potentia vitam habentis, id est, corporis apti ad eliciendas & recipiendas vitales operaciones v. g. visionem, auditionem, nutritionem &c. Est igitur anima actus corporis organici non *constitutivus*; sed *informativus*. Adeoque corpus organicum in ratione organici, id est carnis, ossis, oculi &c. constituitur per formas substantiales partiales subordinatas animae, quae & ante & post adventum animae manent in materia. Ita sentimus cum Amico & multis RR., contra non paucos alios. Quis enim credat, os, carnem, nervos &c. differre tantum accidentaliter? è contra cum in diversis partibus ejusdem viventis apparet diversorum accidentium stabilis collectio; quidni essent diversæ formæ substantiales, illa immediatè exigentes? Sufficit anima ad actuandam materiam in ratione viventis, non in ratione organici. Formæ partiales ante adventum animæ actuant materiam in ratione organici, id est, carnis, ossis &c. non in ratione viventis: relinquunt materiam compleibilem in ordine ad compositum vivens, non in ordine ad hæc composita: os, caro &c.: quæ sunt de integritate viventis, anima de essentia: quæ dum advenit enti integraliter completo sibi subordinato, accidens dici non potest: neque formæ partiales sunt dispositiones strictè dictæ; habent enim duplex munus, ut informant

ment materiam, & constituant instrumenta animæ, & consequenter informantur ab anima: hoc ipso autem, quod intendantur propter animam, intenduntur simul propter totum vivens mixtum constituendum. Anima informans corpus forte potest producere omnia illa accidentia, quorum radices volumus esse formas partiales: at non potest id ante adventum, & post discessum: quando tamen adesse debet aliquod principium substantiale. Formæ Embryonis & cadaverica nimis similitudines videntur. Quis enim credit, factum substantialiter differre a se ipso post animationem in ratione organici? manum amputatam substantialiter differre ab adhaerente corpori? Quis demum credit, sine speciali mutatione accidentium novam formam introduci in caput hominis, jam jam abscissum? &c. *Observa*, carnem mortuam esse materiam, & substantiale formam carnis, vivam esse materiam, substantiale formam carnis, & animam: convenienter igitur in ratione carnis, non in ratione carnis vivæ: unde ori potest æquivocatio, quam vult Aristoteles esse inter carnem vivam & mortuam.

Atque ex his clarior fit definitio Aristotelica animæ: quæ dividitur in vegetativam, sensitivam & rationalem; singulæ enim hæ animatum species sunt actus primus substantialis corporis organici. Plures tamen non dantur simul in eodem vivente; vel enim datur sola vegetativa, ut in plantis; vel sensitiva, ut in brutis, quæ virtute continet vegetativam, adeoque vegetativo-sensitiva dicitur; vel rationalis, & hæc virtute continet duas priores, unde vegetativo-sensitivo-rationalis appellatur. Accedit, quod simultanea pluralitas animarum subsistere non possit cum unitate viventis. Neque inde inferas, animam etiam virtute continentem

formas partiales  
id, quod forma particula  
egalem specie dicitur  
id, quod non facit  
Neque etiam in co  
res diversæ animæ:  
io induci debet sua  
inducenda est anima  
ratio hominis, non bi  
man rationalen per  
tur omnium organo  
tales, etiam rationo  
fatio; alias enim  
infantes intoman  
est, si adgit organo  
vita elicendas suffici  
animam rationalen  
anima, que primita  
imperfecta, tantum  
dones vegetativas,  
sensationes, ac de  
natura paulatim ab  
duit ad perfectionem  
animal. textu  
late sensitivam,  
timis fibi succed  
quod entitatem &  
mida juxta Canos  
informationem a  
te ampliative, qu  
Haber suas ani  
mipotum proximu

tinere formas partiales : non enim hæc præstat omne id , quod formæ partiales ; nam hæc unam partem integralē specie distingunt ab alia , & substantialiter quidem , quod non facit anima.

Neque etiam in eodem vivente sibi succedunt plures diverse animæ : omni enim viventi statim ab initio induci debet sua propria anima , sic homini statim inducenda est anima rationalis ; intenditur enim generatio hominis , non bruti , aut plantæ. Neque ad animam rationalem primò materiæ unieritatem prærequiritur omnium organorum ad quascunque operationes vitales , etiam rationales , exercendas necessariorum perfectio ; alias enim ob eandem rationem negari posset , infantes informari animâ rationali discursiva : sed fatis est , si adsit organizatio inchoata ad aliquas operationes vitae eliciendas sufficiens , quæ deinde paulatim per ipsam animam rationalem magis magisque perficiatur , ita ut anima , quæ prius cum organizatione illa inchoata & imperfecta , tantum proximè potens est exercere operationes vegetativas , deinde fiat proximè potens exercere sensationes , ac denique operationes rationales ; sicutque natura paulatim ab imperfectioribus actionibus progressit ad perfectiora : unde quando Arist. l. 2. *de gener. animal.* textu 3. docet , animæ vegetativæ succedere sensitivam . & huic rationalem ; vult tantum , animas sibi succedere quoad operationes , non autem quoad entitatem & essentiam. Dum non habetur homicida juxta Canones , qui occidit fætum in utero ante informationem animæ rationalis ; *occisio fætus* sumitur ampliatively , qui animandus esset , nisi quid obstat.

Habet suas anima potentias , per quas intelligitur principium proximum productivum actus vitalis. Aliæ sunt

sunt *organica*, aliae *inorganica*: hæ sunt mere *spirituales*, quales sunt intellectus, voluntas: illæ materiales, neque in ullo statu operantur sine organo. Omnes hæ potentiaæ saltem ratione distinguuntur ab animâ: organicæ saltem realiter inadæquate, in quantum important organum. *Inorganica*: in actu primo remoto acceptas, identificatas volumus animæ ( in actu primo proximo acceptæ non identificantur animæ, quia sic important omnia prærequisita ad ponendum actum vitalem ) Idem contendimus de organicis eodem modo acceptis v. g. potentia productrice visionis &c. secluso organo. Adversantur Thomistæ cum suo Duce Doctore Angelico, ut contendunt: sed si is revera distinctionem realem agno'cat, opponimus illi Sanctos Aug. Bernard. Isidorum, & alios. S. Isid. l. 11. *Ety-mol.* sic habet: *anima*, dum vivificat *corpus*, *anima* est; dum rult, voluntas; dum recolit, memoria; dum rectum judicat, ratio; dum aliquid sentit, sensus. Eodem ferè modo l. de *Spiritu & animâ* c. 13. loquitur S. Aug.: vultque, tantum *animam secundum sui operis officium variis vancupari nominibus*. Item secundum ipsum, sensus, imaginatio, ratio intellectus, intelligentia in anima nihil aliud sunt, quam ipsa. S. Bern. in *canticis*: in anima, inquit: *intueor tria, rationem, voluntatem, memoriam, & hac tria est ipsa anima*. Non omnis potentia est qualitas physica, sed vel physica, vel Metaphysica: atque ita explicatur Aristoteles. Unica nobis ratio hæc sufficit; quia nulla appetet necessitas admittendi potentias ab animâ realiter distinctas. Si ea, quæ congerit P. Suar. pro distinctione potentiarum, nempe quod anima sit indifferens ad operationes, quod egeat pluribus comprincipiis accidentalibus, quod substantia animæ plurimùni distet ab intellectione v. g. acciden-

cedentali; si, inquam, hæc rem evincerent, etiam intellectus distinctus deberet operari mediâ virtute superadditâ, quia etiam indiferens est ad multas intellectiones, eget comprincipiis accidentalibus, multâ perfectione superat unamquamque seorsim cognitionem. Non igitur necesse est, animam determinari per potentias distinctas; quia vel operationes sunt liberae; & tunc anima se ipsam determinat: vel necessarie; & tunc anima in actu primo est ad illas determinata, vel determinatur per species excitatas. Ubi notandum, P. Suarez admittere, substantiam animæ simul influere: qui ex eo capite volunt potentias distinctas, quia substantia non est immediate operativa, ex superioribus refutati manent. Diversitas operationum vitalium potest orihi ab unâ & eadem animâ, sicut diversitas intellectionum oritur ab eadem potentia intellectiva. Habitùs supernaturales distinguuntur à gratiâ habituali; quia habitus fidei & spei in peccatore existunt, sublatâ gratiâ; potentiae autem in sensu supra explicato ab animâ separari nequeunt. Cæcus caret potentia visivâ proximâ, quia caret ea organorum dispositione, quæ ad videndum desideratur: remotam & radicalem retinet, quæ non est materialis entitativæ, sed effectivæ tantum. Propositiones has: *voluntas intelligit*, *intellectus vult*, in sensu materiali, non verò in formalí, veras esse, constat ex distinctionib⁹.

Potentiae vitales suos actus vitales habent, in quibus reperitur actio, & terminus, qui pro varietate actionum vitalium varius est: terminus actionis intellectivæ est verbum mentis, sive imago spiritualis & formalis objecti cogniti; actionis volitivæ est quædam qualitas, quæ appellatur pondus voluntatis. De actu vitali intentionali potissimum querimus, in quo consistat: quæ-

quæstio cum multūm habeat de nomine, responsionēm  
hic tempore: si actus vitalis accipitur præcisè pro formā  
denominante agere *vitaliter*, consistet in solā actione; ut  
colligitur à paritate formæ denominantis agentem  
non vitaliter. Si accipitur pro formā denominante a-  
gentem *vitaliter intentionaliter*, consistit in actione &  
termino: quia intellectio v. g. est formalis imago ob-  
jecti: ergò non est sola actio. Est actuale exercitium  
potentiae vitalis: ergò non est solus terminus, qui est  
imago mortua. Pariformiter de actu voluntatis discut-  
rendum. Hinc argumentis Molinæ & aliorum eō ten-  
denteribus, ut probent, intellectionem consistere in solā  
actione, respondeo, concedendo de intellectione activâ,  
& negando de illâ passivâ accepta: è converso argu-  
mentis P. Vasquez & aliorum, suaderibus, intellecti-  
onem consistere in solā specie expressâ seu verbo men-  
tis, scilicet concedendo de intellectione passivâ, negando de  
activâ. Cognitio est formalis imago objecti illud re-  
presentans vitali modo: verbum mentis ad summum  
est vitale radicaliter, non autem formaliter per se  
ipsum.

Actio autem illa & terminus probabilius realiter di-  
stinguuntur. Quid enim hîc fingatur identitas, cum  
in totâ naturâ nullum omnino aliud exemplum sit, ubi  
effectus identificetur actioni productivæ sui? Quomodo  
dabitur fieri, nisi per illud fiat aliquid? quomodo via  
sine termino? Ubi nos unionem, durationem, ubi  
cationem identificamus ipsi actioni, semper tamen illi  
assignamus terminum distinctum. Dum Aristoteles ait,  
quasdam esse actiones, quarum nullum aliud opus est  
præter actionem; loquitur de opere, quod post ipsas  
actus, trahuntur opus, sicut in operibus manuibus, illi actio-


adiones manet. D.  
tare solam habendum  
in qua nullâ rato or-  
nullum importari na-  
rem intellectam. Id  
dicere importas pro  
conceptum [ubi zog-  
cum] & ratio mi-  
intellectam. Sed d


Intellectus &  
juvantor etiam ab  
omnes naturales &  
intellectus in ipso  
ratorum robora  
junctis cum nega-  
lentium, aut quo  
sunt praestare toro  
et potentiam incli-  
bus est generatus  
sira admittitur alia  
luntatis specialiter  
luntatis elicitor,  
hac & alia suble-  
quo illâ plures  
quidem objecti;  
circa & inclinarur  
item est habitus in  
inclinat ad actus,  
naturam. Habitus  
alium, ad quem i  
tur immediata ab

actiones manet. D. Th. , inquiens , intelligere importare solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam , in quā nullā ratio originis importatur , vult tantum , nullam importari rationem originis inter intelligere & rem intellectam. Id quod inde constat ; quia addit : dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum [ ubi agnoscit dicere ab ipso verbo distinctum ] & verbo mediante dicit habitudinem ad rem intellectam. Sed de hoc plura Theologi.

Intellectus & voluntas in producendis suis actibus juvantur etiam ab habitu , consistunt autem habitus omnes naturales & acquisiti tam voluntatis , quam intellectus in speciebus rememorativis actuum praetitorum roboratis , & inter se coordinatis , & conjunctis cum negatione specierum oppositarum præalentium , aut æqualium. Cum enim haec species possint præstare totum officium habitus acquisiti , quod est potentiam inclinare ad actus similes illis , à quibus est generatus , & in illis eliciendis facilitare , frustra admittitur alia qualitas distincta. Pro habitu voluntatis specialiter haec militat ratio : dum actus voluntatis elicetur , comitatur cognitio experimentalis ; haec & aliæ subsequentes relinquunt post se species ; quod illæ plures sunt , eò vivacior elicetur cognitio ejusdem objecti ; quā præeunte voluntas magis allicitur & inclinatur ad prosecutionem objecti. Unde idem est habitus intellectus & voluntatis , prout nempe inclinat ad actus , habentes pro fine veritatem vel bonitatem. Habitum non necessariò coefficit physicè actum , ad quem inclinat : item non necessariò producitur immediate ab illo ; quomodo mediate , vel moraliter

raliter ab actibus voluntatis efficiatur, explicatum est. Species directæ & primæ concurrunt ex parte objecti; rememorativæ autem ex parte actus: sunt bonæ, mala, speculativæ, practicæ denominative & causaliter; non formaliter. Lieet sint incorruptibiles, potest tamen tolli habitus; quia per species prævalentes tollitur earum negatio. In Christo species, que relinquuntur à cognitionibus de nostris actibus malis, non constituunt in eo habitum vitiolum; quia cognitiones illæ non sunt experimentales, & prævalent species oppositæ.





J. M. J.

EX  
ETHICA  
*Sive*  
*Philosophia Morali.*



Uxta Aristotelem l. 1. Eth.  
c. 9. Ethica est ars vivendi  
secundum virtutem, cuius  
præmium Beatitudo. Ethicæ  
institutiones ab inspe-  
ctione finis plures auspi-  
cantur; nos paucis eum  
infrâ attingemus. Cùm  
verò Ethica dirigat actio-  
nes humanas ad honesta-  
tem, hæc autem, quatenus sunt ad honesta-

tem dirigendæ , tria supponant ; voluntatem , ut principium earum , libertatem , ut conditionem , sinè quā dirigi ad honestatem non possent ; regulam , cui conformari debent , ut sint honestæ , ex his pauca delibabimus , regulâ mōrum Theologis relictâ.

Principium ergo actionum humanarum ab Ethicā dirigibilium est voluntas. Hujus objectum materiale terminativum & adæquatum est bonum & malum : omnis enim actus voluntatis vel est prosecutionis vel aversionis , illo prosequitur bonum , hoc aversatur malum. Formale ultimò motivum est sola bonitas , saltem apparens : adeoque in voluntate non dantur actus puræ fugæ ; omnis enim actus voluntatis , sive sit prosecutio , sive aversio , movetur ab aliquo bono ; bonum enim ex Philosopho est , quod omnia appetunt. Hinc voluntas nunquam aversatur malum , quā malum , ibi sistendo ; sed quia illud malum adversatur alicui bono , quod se habet tanquam finis , sive qui , sive cui amatus. Äqualiter fertur in bonum & malum , tanquam materiale. Si alicui objectum repræsentaretur ut pure malum , fugiendo tale objectum , vellet negationem illius tanquam sibi bonam , à quā bonitate moveretur ultimatè ad fugam. Si vis nullam bonitatem repræsentari , nequidem illam , quæ est carentia talis mali. Resp. hoc fieri non posse ; hoc ipso enim , quod quis apprehendat objectum ita malum , apprehendit , carentiam illius sibi bonam esse.

Iterūm

Iterum cum voluntatis illecebra bonum sit, voluntas amare non potest malum, quod nullam praefert rationem boni; nec odiſſe bonum, in quo nulla mali species: ita ergo bonum est voluntatis amantis, & malum voluntatis avertantis objectum, ut voluntas amare non possit malum quam malum, nec odiſſe bonum quam bonum. Accedit, quod omnis appetitus ab authore naturae ordinatus sit in bonum sui subjecti, quia vertetur vitio authori naturae, si appetitum indidisset rebus in perniciem illarum: atqui utrumque vertetur in perniciem subjecti: ergo. Unde Sanctus Dionysius inquit: *Nemo intendens ad malum operatur.* Igitur quisquis prosequitur malum, semper prosequitur sub aliquā ratione boni *apparenter* talis, & contraria.

Libertatem indifferentiae (quam in homine, etiam in statu naturae lapsae dari, contra Jansenium definit Ecclesia, & a Theologis tum ex Scriptura, tum ratione naturali demonstratur) formaliter esse in sola voluntate, sustinet communis contra Durandum, qui eam etiam tribuit intellectui. Sic Eccl. 15. legitur: *si volueris servare mandata* (non, *si cognoveris*) *conservabunt te.* Accedunt SS. Patres. Licet autem Scriptura & Patres libertatem ab intellectu positivè non excludant; cum tamen alibi eam intellectui non assignent, moraliter saltem concluditur, quod nullam in ipso agnoverint. Et quomodo in eo reperiatur aliter, quam denominative? non enim in nostra potestate est, ut hoc praefereat nobis in mentem veniat, nisi ad summum

mum in tantum, in quantum intellectus subjacet imperio voluntatis. Atque haec mens est Sancti Augustini *l. de Spirit.* & *lit. c. 34.* Si possibilia judicas intellectum formaliter liberum, specie distingueretur a nostris intellectibus.

Libertatis exercitium est electio: potest autem voluntas ex aequalibus bonis eligere alterutrum, & ex inaequalibus minus. Primum ex eo patet, quia si bona sint aequalia, voluntas est maximè libera, cum non trahatur fortius ab uno, quam ab alio. Secundum illud Poëtae, experientia confirmatum, comprobat: *video meliora &c.* Dein bonum maius saepe non est necessarium ad obtentionem finis, sed minus bonum sufficit: cur ergo id præ maiore non possit eligere voluntas? Ad hujusmodi autem electionem non requiritur, ut ratio motivata teneat ex parte objecti; sed sufficit, eam se tenere ex parte voluntatis, quia scilicet ita placet, & quia bonum est, sic posse exercere libertatem, juxta illud: *stat pro ratione voluntas.* Porro licet haec ratio subjectiva sit sufficiens ad liberè eligendum; non tamen est semper prudens.

Nequit autem libertatis exercitium esse pura omissione: unde nequit, voluntas pure & simul liberè omittere. Ita cum Sanct. Thom. multi graves Doctores. Cum S. Doctor docet *l. 2. q. 6. a. 3.*, dari in nobis posse voluntarium sine omni actu, etiam interno, & ibid. *q. 71. a. 5. ad 2.*: aliquid dicitur voluntarium non solum, quia cadit super ipsum actum voluntatis; sed quia in potestate nostrâ est, ut fiat, vel

vel non fiat ; unde etiam ipsum non velle potest dici  
 voluntarium , in quantum in potestate hominis est velle,  
 & non velle. Vult tantum , posse haberi omissionem  
 liberam sine ullo actu directe tendente in ipsam omis-  
 sionem ; per quod non excludit actum directe ten-  
 dentem in aliquid incompossibile cum actu opposito.  
 De cetero mentem suam satis explicat I. c. , docens ,  
 quod , ut omissio voluntaria peccaminosa sit , debeat  
 procedere ex causa , vel occasione quâdam , quæ sit  
 in nostra potestate , nobisque voluntaria : & tunc ,  
 inquit , semper oportet , quod ista causa , in quantum  
 est voluntaria , habeat aliquem actum , ad minus in-  
 teriorum voluntatis. Dum vult alibi , ad justitiae me-  
 ritum requiri actum , non verò ad malitiam , & de-  
 meritum omissionis : vult ad meritum justitiae re-  
 quiriri actu directe tendentem in objecti honestatem ,  
 sufficere autem ad demeritum , ut omissio sit indirecte  
 volita ; rationem dat ipse , quia ad actum virtutis me-  
 ritorium plus requiritur , quam ad demeritum culpæ .  
 Ratio autem nostra unica est , in quâ reliquæ fun-  
 dantur : quia voluntas est potentia rationalis , adeo-  
 que agit ex motivo ; agere autem ex motivo nequit  
 sine actu , unum enim motivum propter aliud di-  
 mittendo , debet circa hoc specialiter affici : hic au-  
 tem specialis affectus est actus positivus ; si enim nul-  
 lum exerceret actum , jam æqualiter se habèret ad  
 utrumque motivum. Exercitio libertatis aliquid su-  
 peraddi debet , quod non erat in actu primo : quid  
 autem hoc , si nullus habeatur actus ? Proposito  
 indifferenter objecto voluntas non necessitatibus ad ul-  
 lum actum determinatè ; ad aliquem tamen in-  
 determinatè . Ipsa finitudo bonitatis est sufficiens mo-

tivum ad volitionem positivam vel directam , vel indirectam non amandi . Si subtraheret Deus concursum ad omnem actum , præterquam ad amorem : posset quidem amor omitti ipure , at non liberè . Omissio amoris peccaminosa est tantum denominativè libera . Ad agendum liberè non requiritur actus alias , præter illum , quo agit voluntas ; quia electio habetur per illum ipsum actum ; non per omissionem putum . Libertas contrarietas , & contradictionis defumitur ab objectis , in quaे tendunt actus : si sint contrarietoriè opposita , est libertas contradictionis ; contrarietas , si opposita contrarietè .

Quæritur nunc adhuc , an ipsum actuale exercitium libertatis habeat libertatem sibi adæquate intrinsecam , ità ut idem actus liber nequeat fieri necessarius , & contraria . Responsio affirmativa videtur probabilior : actus enim liber per suam solius entitatem est ipsa actualis & electiva voluntatis de se indifferentis determinatio ad unam partem ; sicut in causis aliis non liberis actio per se solam est actualis & ultima determinatio causæ ad talem effectum : talis autem electiva determinatio voluntatis de se indifferentis est ipsum actuale exercitium libertatis , sive libertas in actu secundo ; ideoque hæc non importat aliud præter ipsum actum , cui quemadmodum essentialie est , esse talem actum , sic quoque ipsi intrinsecum est , esse talem determinationem voluntatis & exercitium liberum . Unde præterea sequitur , quod volitio libera essentialiter pendeat à toto actu primo proximo libero , & singularis ejus constitutivis , sive sunt principia physica , sive moralia , ità quidem , ut illis sublatis , aut uno , altero

rove immutata  
qualis ante e  
hoc , quod  
Sed , ut col  
quod volunt  
que est effec  
tus posita  
actum prim  
agit liberè,  
tem hoc ad  
lum tenden  
ia ) live h  
pur . An d  
penitentia ad  
mutetur no  
esse indiffer  
tur P. Ull  
motivum re  
alterius  
ferentis .

Sed de  
menior et  
in actu pa  
cundo non  
que DEU  
thus creat  
PP , & ju  
tenenda  
innellici p  
dederit c  
& Theolo  
etada sine

rove immutato, non sit, aut non maneat talis actus, qualis antè extitit. Nolumus recurrere cum aliis ad hoc , quod actus liber sit *pugnax* , *victoriosus* &c. Sed , ut colligitur facile , id tantum contendimus , quod voluntas, quando agit liberè, ponat actionem , quæ est essentialis determinatio , immediate vi voluntatis posita , formaliter & esentialiter determinans actum primum proximum liberum ; quando non agit liberè, non sit talis determinatio. Transferre autem hæc ad actiones externas, nihil est; hæc enim nullam tendentiam accipere possunt ( cum sint necessariae ) sive hoc , sive illo modo omnipotentia applicetur. An decreta Dei diversa sint ratione motivorum, pertinet ad Theologos: nos hoc solùm dicimus, sive mutetur motivum, sive non, decretum poterit adhuc esse indifferens, adeoque sequetur actus liber. Videatur P. Ulloa. Concurrit autem ad libertatem rām motivum retrahens , quām attrahens ; quia absentia alterutrius motivi infert absentiam cognitionis indifferantis.

Sed de concurso Dei ad actum liberum , vehementior est controversia. Concursus hic duplex est, in actu primo, & secundo. Concursum in actu secundo non esse distinctum ab actione creaturæ, adeoque DEUM immediate concurrere ad omnes effectus creaturarum , communis est Theologorum , & PP, & juxta S. Bonav. sententia , sine ambiguitate tenenda. Evidenter videtur favere Scriptura : hanc intelligi posse de concurso mediato, eò quod DEUS dederit creaturis virtutem operandi, pernegant SS. PP. & Theologi unanimiter, cum verba scripturæ accipienda sint in sensu proprio , quando alium sensum

non indicat vel evidens ratio, vel authoritas Ecclesiæ, vel Patrum. Audiatur S. Aug. qui arbitrantur, tantum ipsum mundum factum à Deo, cetera verò fieri ab ipso meo mundo, contra illos profertur illa sententia Domini: Pater meus usque modò operatur. Atque in hujusmodi autoritate à plerisque hæc assertio fundatur. Ceterùm accedit perfectissimum & immediatum Dei dominium, quod expoicit immediatum influxum, & immediatam dependentiam creaturarum. Sic si esset aliquid cognoscibile, & non cognosceretur à Deo, minueretur ejus scientia: si existimat aliquia creatura, & non coëxisteret Deo, minueretur ejus immensitas. Quomodo ergò non minuantur ejus Dominium, si aliqua creatura non penderet immediatè ab ipso? Mediatus creaturarum dominium in alias, est perfectio mixta imperfectione; & immediatum multis sèpe obnoxium est molestiis. Sequitur quidem, actionem creaturæ esse divinam denominative, at non entitativè: illa potest esse peccaminosa, non hæc. Neque DEUS, quod producat simul visionem, meritum &c. denominabitur videns, merens &c. quia cum denominationes ejusmodi sint vitales, tribui non possunt, nisi principio illarum elicitivo & receptivo.

Neque timendum est, ne concursus ille immediatus, & simultaneus faciat DEUM authorem peccati, aut causam sive moralem, sive physicam: licet enim concurrat ad peccatum immediatè, concurrit tamen præter intentionem cum displicentiâ, & ex determinatione aliena: hinc ad summum est causa peccati per accidens, universalis, & purè permissiva. Conceptus

ceus quiden  
ni physicum  
strictus ad fo  
caula secunda  
non actio ur  
fium concur  
licet indiffer  
secundo: ha  
ex parte Dei  
lito indiffer  
num, vel ma  
membrum n  
decreum De  
sed physice  
peccatum, le  
dare ipsam  
ad peccatum  
natus à crea  
telt quidem  
minis liberta  
ne aliquarun  
creata liber  
causa unive  
bonum, ut  
tua eligit.

Concursu  
de omni po  
magis collidi  
mus, multa  
cedimus, &  
politicus:

ceptus quidem causæ permisivæ genericus non requirit physicum influxum in actum ; requirit tamen restrictus ad solam causam primam; quia omnis actio causæ secundæ essentialiter dependet à causâ prima ; non actio unius creaturæ ab alia ? Intendit DEUS suum concursum in actu primo , omnipotentiam scilicet indifferenter applicatam; non concursum in actu secundo : hunc enim véllet non ponî [ quantum est ex parte Dei, efficaciter ] cum sit peccaminosus. Volitio indifferens , vel disjunctiva in creaturâ ad bonum, vel malum, peccaminosa est; quia ad utrumque membrum necessariò afficitur , nisi dicatur otiosa : decretum Dei debet esse indifferens ( non moraliter, sed physicè ) ut salva stet creata libertas. Facit DEUS peccatum, sed permissivè tantum : item ponit immediatè ipsam electionem & determinationem creaturæ ad peccatum, at non immediatè libere , sed determinatus à creaturâ ad malum præ bono ponendum. Potest quidem DEUS impedire peccata etiam salvâ hominis libertate ; at non tenetur ( observa hoc, ratione aliquarum paritatum, quæ obmoventur ) & exigit creata libertas , ut DEUS tanquam illius author & causa universalis cum creaturâ itâ velit concurrere ad bonum, ut sit etiam paratus ad malum, quod creatura eligit.

Concursus Dei in actu primo, sive applicatio diuinæ omnipotentiae nostram , & Thomisticam scholam magis collidit. Ut hâc in controversiâ brevissimi sumus, multæ suadent rationes. Unde breviter sic procedimus. Ante omnia veras statuimus has duas propositiones : omnis suppositio cum uno voluntatis exercitio

ercitio per se, Metaphysicè , absolutè ac determinatè connexa, si idem voluntatis exercitium omnino antecedit, estque ab ipso voluntatis arbitrio inevitabilis , inducit antecedentem agendi necessitatem , libertati indifferentiæ ad meritum & demeritum requisitæ contrariam: Similem impotentiam , eidem libertati perinde inimicam , generat carentia cuiuslibet principi; vel medii ad operandum per se essentialiter prærequisiti , & à voluntate omnino inacquiribilis. Ejusmodi enim suppositio aliquam necessitatem inducit : non consequentem tantum : ergo antecedentem. Prædeterminationis physicæ ad unum exceptæ privilegium exhibendum est.

Deinde volumus , ad libertatem indifferentiæ non sufficere solam indifferentiam judicii : quid enim juvabit, motionem moralem esse indifferentem, si voluntas aliunde ligetur per motionem aliquam præviā, eam determinatè affigentem uni parti aut contradictionis, aut contrarietas? quid juvat , voluntatem uno vinculo esse liberam, si alio adhuc constringatur? quæ in eo repugnantia, quod DEUS voluntatem sub judicio indifferentem constitutam pro priori naturæ ad amorem v. g. occultâ quâdam vi & virtute ad amorem eliciendum ita moveat , ut in ejus potestate antecedente non sit , vel motionis existentiā impedire, vel cum motione , aut determinatio- ne divinâ sui amoris omissionem componere ? Quid autem amplius ad inferendam voluntati necessitatem requiritur ? Certè juxta D. Th. determinatio actus relinquitur in potestate voluntatis & rationis. At pro tanto , juxta eundem S. Doctorem , necesse est ,  
quod

*quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso, quod rationalis est.* Nihil hoc contra nos : judicij enim indifferentia dicitur radix libertatis in actuali operatione ad eum ferè modum , quo quantitas dicitur radix actualis impenetrationis : sicùt ergò quantitas connaturaliter habet actualem impenetrationem , sic judicij indifferentia connaturaliter ex suâ naturâ ad liberam electionem ordinatur : quid autem hoc impedit , quò minus Metaphysicè loquendo antecedenter à Deo necessitetur ? Quod fit ex indifferentia judicij secundum modum connaturalem , quo influit , fit liberè : at licet voluntas non necessiterit ab objecto , potest tamen necessitari aliunde ? Judicij indifferentia non est adæquata radix libertatis. Voluntas sequitur ductum rationis , ut conditionem si ne quâ non ; nihil enim volitum , nisi præcognitum. Quod DEUS nequeat facere , ut voluntas sub judicio non indifferenteretur liberè , mirum non est ; quia deficit aliquid essentiale constitutivum actus primi proximi liberi : stante autem judicio indifferentia non deficit in DEO virtus , ita antecedenter determinandi voluntatem , ut resistere non possit.

Denique contendimus , ad libertatem indifferentiam formalem , proximam , & immediatam non sufficere potentiam agendi in sensu diviso alicujus per se prærequisiti , sed necessariam esse potentiam non agendi in sensu composito eorum omnium , quæ sunt ad agendum per se essentialiter prærequisita. Primum enim non soli potentiae liberæ , sed necessariae etiam convenire videtur.. Et quomodo voluntas

luntas erit proximè & formaliter expedita ad utrumque extremum, si habeat antecedenter aliquid à se inevitabile, inacquiribile, inamovibile ita cum uno extremo connexum, ut alterum cum illo principio conjungi non possit? Ad plures paritates solvendas, hanc regulam universalem tene: Dum dicot aliquid posse in sensu diviso, attende, an sensus divisus cadat tantum supra actum ab altero actu dividendum; an verò supra prærequisitum aliquod principium unius actus dividendum ab actu contrario. Si **primum**, relinquitur adhuc in sensu composito potentia ad utramlibet: sic in sensu composito sessionis habeo omne prærequisitum ad stationem, & ad hoc, ut stem, non est opus, nisi ut solus actus sessionis à me dividatur; quod totum subjacet meæ libertati. Si **secundum**, falsum est, quod habens illud principium, possim libere actum contrarium ponere in sensu diviso; excipe, nisi penes me sit facultas per ipsum actum secundum à me dividendi illud prærequisitum.

Ex quibus videmur nobis rectè confictere, Prædeterminationem Thomisticam ad unum cum libertate voluntatis creatæ non consistere. Et si immittatur ad actus malos, videtur nobis minus confusa Divinæ Sanctitati; sive malitia formalis identificetur materiali, sive in negatione statuatur: positâ enim prædeterminatione ad materiale, quomodo creatura negationem illam impediet? Dominus imperans famulo claudio ambulationem, non est causa per se claudicationis (nisi hæc foret peccatum) nam imperium idem Domini si ad alium famulum non claudum diri-

dirigeretur, eundem fortiretur effectum, unde claudicatio per accidens ad illud sequitur. Secus est in prædeterminatione.

Quam neque hucusque aliquis nobis visus est ex D. Th. eruuisse. Ceterum si quis vehementius contendat, aliquam præmotionem physicam ab eodem Angelico Doctore doceri, nos sibi non admodum contrarios, offendet, modò eam cum utroque & contrarietatis & contradictionis extremo confistere, consequenter cum eodem fateatur. Nos itaque breviter sic statuimus: ut hominis libertas salvetur, debet Decretum, quo Deus causis liberis applicat suam Omnipotentiam (sive per aliquid intrinsecum, sive mèrè extrinsecè; hoc enim præcipuum controversiæ punctum non tangit) esse ad utrumlibet indifferens. Unde Deus non determinat ad speciem, creaturæ enim tribuendum est, quod potius ponatur actus, quam quod non ponatur, & quod potius ponatur actus hujus, quam alterius speciei contrariae. Neque tamen propterea creatura est primum determinans, sed unicum determinans manet; eadem enim determinatio est Dei & creaturæ, ut est determinatio, tribuitur creaturæ. Licet Deus determinet ad individuum: *hoc ipsum* enim, inquit S. Th. I. p. q. 105. a. I. ad 3., quod causa secunda determinantur ad determinates effectus, est illis à Deo. Determinat autem negativè tantum, reddendo reliqua individua in una & altera specie creaturæ impossibilia: cum enim illa inter individua ejusdem speciei non discernat, eo modo à Deo ad hoc præ alio determinanda est: quia tamen se ipsam

ipsam determinat ad speciem , etiam determinat se  
ad individuum materialiter sumptum.

Licet autem Deus nunquam dici possit causa actus  
peccaminosi : causa tamen simpliciter dicitur actus  
boni , non obstante concursu indifferentie , quia ad  
illum per gratias præbias excitat &c. Utinam nos  
ei excitanti ita obsecundemus , ut tandem eum per-  
fectè possideamus. *Irquietum certè cor nostrum ,*  
*o Deus , donec requiescat in Te. In Te , qui unicè*  
*nos satiare potes ; bonum enim creatum omne in-*  
*sufficiens est ; solum increatum , quod Tu es , nos*  
*beare potest : Túque solus nostra es Beatitudo ob-*  
*jectiva , & totius Philosophiæ nostræ*


*F I N I S.*



dominat te  
in confusis  
dicitur alia  
eae, qui ad  
Utan nos  
deos cum per  
an nostrum,  
e, qui unic  
m omne in  
Te es, nos  
deum ob

S.






# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

| Black | White | 3/Color | Black | White | Red | Yellow | Green | Cyan | Blue |
|-------|-------|---------|-------|-------|-----|--------|-------|------|------|
|       |       |         |       |       |     |        |       |      |      |

# TIFFEN® Gray Scale



© The Tiffen Company, 2007

Philos. 418.

